UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

# Universitätsbibliothek Paderborn

## Annales Ecclesiastici

Incipiens ab Anno Domini D.XVIII. perducitur vsque ad Annum D.XC. nempe ab Anno primo Iustini Senioris, vsque ad quintum Mauritij Augusti. Complectitur annos LXXIII.

**Baronio, Cesare**

**Coloniæ Agrippinæ, 1624**

Iesv Christi Annus 546. Vigilii Pap. Annus 7. Ivstiniani Imp. 20. Totilæ Reg. 5.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-14926**

Visual Library

*naſtum ſecum cœnare iuſſit, ac Areobindum ante omnes in ſummo accumbere, poſt cœnam vero in cubili ſolum dormire cogit.* AREOBIN. OCCIDITVR. *Vbi Vlitheus cum nonnullis aliis ab eo miſſus ipſum & flentem & multa obteſtantem, ac miſericordiam, fidemque datam implorantem interfecit, non eſſe immortalem dicens, in longam eius puto ſenectutem cauillando,* hæc de tyranno Gonthavide & nece Areobindi Procopius: qui ad finem eius commentarij tradit poſt dies triginta ſex eumdem Gonthavidem dolo necatum ab Artabane Duce, quem conuiuio exceperat. hiſce diffuſe narratis, idem Procopius finem imponit hiſtoriæ, de bello Wandalico in hunc vſque annum conſcriptæ, quod feliciſſime inchoatum, ac pene abſolutum denuo reſtauratum, difficillimumque in dies redditum eſt crebris defectionibus populorum, emergentibus nouis tyrannis, poſtquam Imperator ſiue eius miniſtri ſacrilege agentes in Inſula Romanum Pontificem mori impie coegerunt.

## IESV CHRISTI
### Annus 546.

VIGILII PAP. Annus 7. IVSTINIANI IMP. 20. TOTILÆ REG. 5.

I. SEquitur annus Domini quingenteſimus quadrageſimus ſextus, idemque belli Gothici à Procopio vndecimus numeratus, & poſt conſulatum Baſilij quintus: quo Totilas Spoletum in deditionem accepit, Peruſiamque obſedit, diuque obſidione fruſtra tentata, demum dolo necans Cyprianum, cui cuſtodia mandata erat, occupauit. Scribit hæc omnia Procopius a pluribus, qui & tradit capti eo modo Peruſij à Totila præfectos cuſtodiæ Meledinum & Vliſium tranſfugas. Sed quomodo tunc contigerit ſanctum Herculanum eiuſdem ciuitatis Epiſcopum ſubire martyrium, ex ſancto Gregorio ſic habeto b:

a Procop. de bello Goth. lib. 3.

b Greg. dial. lib. 3. c. 13.

II. *Nuper quoque Floridus venerabilis vir vita Epiſcopus narrauit quoddam memorabile valde miraculũ* (fuit hic Floridus Tifernas Epiſcopus ſanctitate clarus, de quo inferius idem ſanctus Gregorius c meminit) *dicens: Sanctiſſimus Herculanus nutritor meus, Peruſinæ ciuitatis Epiſcopus fuit, ex conuerſatione monaſterij, ad ſacerdotalis ordinis gratiam deductus. Totilæ autem perfidi Regis temporibus eamdem vrbem annis ſeptem continuis Gothorum exercitus obſedit, ex qua multi ciuium fugerunt: qui famis periculum ferre non poterant. Anno vero ſeptimo nondum finito obſeſſam vrbem Gothorum exercitus intrauit.* hic admonendum putamus, ex deprauato codice pro menſibus annos poſitos Peruſinæ obſidionis: ſi quidem ex Procopio, qui veſtigia Totilæ eſt aſſectatus, apparet non ante præſentem annum ab eodem Rege tentatum eſſe Peruſium, vtpote qui in aliis expugnandis munitionibus intentus fuit. Pergit vero Gregorius:

c Greg. dial. lib. 3. c. 35.

III. S. HERCVLANVS MARTYRIO CORONATVR. *Tunc (inquit) Comes, qui eidem exercitui præerat, ad Regem Totilam nuncios miſit, exquirens, quid de Epiſcopo & populo fieri iuberet: Cui ille præcepit, dicens: Epiſcopo prius à vertice capitis vſque ad calcaneum corrigiam tolle, & tunc caput eius amputa: omnem vero populum, qui illic inuentus eſt, gladio extingue. Tunc idem Comes venerabilem virũ Herculanum Epiſcopum ſuper vrbis murum deductum capite truncauit, eiuſque cutem iam mortui à vertice vſque ad calcaneũ incidit, vt ex eius corpore corrigia ſublata videretur: moxque corpus illius extra murum proiecit. Tunc quidam humanitatis pietate compulſi, abſciſſum caput ceruici apponentes, cum vno paruulo infante, qui illic extinctus inuentus eſt, iuxta murum corpus Epiſcopi ſepulturæ tradiderunt.*

IV. *Cumque poſt eamdem cædem die quadrageſimo Rex Totila iuſſiſſet, vt ciues vrbis illius, qui quolibet diſperſi eſſent, ad eam ſine aliqua trepidatione remearent: hi, qui prius famis fugerãt, viuendi licentia accepta reuerſi ſunt: ſed cuius vitæ eorum Epiſcopus fuerat, memores, vbi ſepultum eſſet corpus illius quæſierunt, vt hoc iuxta honorem debitum in Eccleſia beati Petri Apoſtoli humarent. Cumque iturum eſſet ad ſepulchrum effoſſa terra, inuenerunt corpus pueri pariter humati, vtpote iam die quadrageſimo tabe corruptum, & vermibus plenum, corpus vero Epiſcopi, ac ſi die eodem eſſet ſepultum. & quod eſt adhuc magna admiratione venerandum, quia ita caput eius vnitum fuerat corpori, ac ſi nequaquam fuiſſet abſciſſum, ſic videlicet, vt nulla veſtigia ſectionis apparerent. Cumque hoc & in terga verterent, exquirentes ſi quod ſignum vel de alia monſtrari inciſione potuiſſet: ita ſanum atque intemeratum omne corpus inuentum eſt, ac ſi nulla hoc inciſio ferri tetigiſſet.* hactenus de ſancto Herculano Gregorius.

V. Subdit vero Procopius, è Peruſio mox Totilam ad Vrbem obſidendam perrexiſſe: à qua cum octo tantum milliaribus procul abeſſet, de S. Cerbonio Epiſcopo ſpectaculum truculentum populo exhibuit, quod S. Gregorius refert. Accidit enim, vt in dies magis magiſque ſæuiret crudelis barbarus: qui cum de ferocia ſua monitis S. Benedicti aliquid ad tempus remiſiſſe viſus eſſet, eamdem duplo reſumpſit, vt intelligere potes tum ex iis, quæ dicta ſunt, tum etiam ex iis, quæ mox dicemus de crudelitate, quam exercuit in S. Cerbonium Populonij Epiſcopum, dum idem barbarus Rex hoc anno in Tuſcia (vt tradit Procopius) verſaretur. Rem geſtam idem S. Gregorius ita narrat d: *Vir quoque vitæ venerabilis Cerbonius Populonij Epiſcopus magnam diebus noſtris ſanctitatis ſuæ probationem dedit. Nam cum hoſpitalitatis ſtudio valde eſſet intentus, die quadam tranſeuntes milites hoſpitio ſuſcepit, quos Gothis ſuperuenientibus abſcondit, eorumque vitam ab illorum nequitia abſcondendo ſeruauit. Quod dum Gothorum Regi perfido Totilæ nunciatum fuiſſet, crudelitatis immaniſſimæ veſania ſuccenſus, hunc ad locum, qui octauo huius vrbis milliari Merulis dicitur, vbi tunc ipſe cum exercitu ſedebat, iuſſit deduci, eumque in ſpectaculo populi vrſis ad deuorandum proiici.*

d Greg. dial. lib. 3. c. 11.

VI. S. CERBONIVS EPISCOPVS OBIICITVR VRSO. *Cumque idem Rex perfidus in ipſo quoque ſpectaculo conſediſſet ad inſpiciendam mortem Epiſcopi, magna populi turba confluxit. Tunc Epiſcopus deductus in medium eſt, atque ad eius mortem immaniſſimus vrſus exquiſitus, qui dum humana membra crudeliter carperet, ſæui Regis animum ſatiaret. Dimiſſus itaque vrſus ex cauea eſt, qui accenſus & concitus Epiſcopum petiit: ſed ſubito ſuæ voracitatis oblitus, deflexa ceruice, ſubmiſſoque humiliter capite, lambere Epiſcopi pedes cœpit: vt patenter omnibus daretur intelligi, quia erga illum virum Dei & ferina corda eſſent hominum, & quaſi humana beſtiarum. Tunc populus qui ad ſpectaculum venerat mortis, magno clamore verſus eſt in admirationem venerationis. Tunc ad eius reuerentiam colendam Rex ipſe permotus eſt: quippe cum quo ſuperno iudicio actum erat, vt qui Deum ſequi prius in cuſtodienda vita Epiſcopi noluit, ſaltem ad manſuetudinem beſtiam ſequeretur. Cui rei hi, qui tunc præſentes fuerunt, adhuc nonnulli ſuperſunt, eamque cum omni illic populo ſe vidiſſe teſtantur.* hæc de S. Cerbonio Gregorius, qui & de eodem, quæ contigerunt tempore Longobardorum, mox ſubiicit: ſed de his ſuo loco.

VII. AGRICOLAS LIBERE COLERE AGROS SIVIT TOTILAS. Didicit igitur ferus homo ab vrſo humanitatẽ, quam tamen cito exuit, vt dicemus, verum eam ſolum erga agrorum cultores cum ad Vrbis obſidionem veniret, illibatam ſeruataſſe voluiſſe, idem Procopius docet iſtis verbis e: *His Totilas rebus peractis, Romam contendit, quam ſtatim vbi proxime ventum obſedit. Agrorum vero cultorib. per omnem Italiam mali nihil quippiam intulit, ſed terram vt intrepide colerent, nil ſecus ac antea imperauit, ſibique ac Reipublicæ tributa penderent, & fructus Dominis reportarent.* hæc Procopius de Totila hac lege etiam de hoſtibus benemerente. Sed obſeſſis commiſerationẽ omnino negauit. Etenim cum ſciret, qui Romæ eſſent, fame laborare cœpiſſe, omnem mox intercluſit viam terra marique, per quam victualia inferri poſſent in Vrbem, ex quo factum eſt, vt frumentum à Vigilio Papa ex Sicilia miſſum in ipſo Romano Portu in hoſtium conſpectu ceperit. Rem geſtam idem Procopius narrat, quam ad finem anni huius contigiſſe æque teſtatur, noſque paulo inferius dicturi ſumus.

e Procop. de bello Goth. lib. 3.

VIII. PELAGIVS DIACONVS ROMAM REDIIT. Hoc item anno Pelagius ſanctæ Romanæ Eccleſiæ diaconus functus munere Apocriſarij apud Iuſtinianum Imperatorem Conſtantinopoli, accepto ſucceſſore Stephano, Romam rediit, vt Procopius teſtatur, dum, ait ipſum haud diu ante Vrbis oppugnationem à Totila factam, eſſe reuerſum. Huius abſentiæ nactus occaſionem Iuſtinianus Imperator promulgauit edictum ad-

uerſus

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK PADERBORN

nenſis Tria capitula ſacroſancti Chalcedonenſis Conci-lij ex ſententia Theodori Archiepiſcopi Cæſareæ Cappadociæ, qui in odium Pelagij, cuius opera (vt dictum eſt) damnatus fuerat Origenes cum ſuis erroribus, Imperatori ſuggeſſit de damnando Theodoro Mopſueſteno cum epiſtola Ibæ & ſcriptis Theodoreti aduerſus duodecim Cyrilli capitula: ex his fore pollicitus, vt ſi id fieret, omnes Acephali aduerſarij Chalcedonenſis Concilij illud mox ſuſcepturi eſſent. Cum enim reſiſtente Pelagio id facere haud integrum fuerit Imperatori; eo Conſtantinopoli recedente, illud à Theodoto conſcriptum edictum ſuo nomine promulgauit, per vniuerſum ſibi ſubiectum Imperium.

IX. Id quidem cum Liberatus diaconus in primis tradat, Facundus etiam Hermianenſis in Africa Epiſcopus res ſui temporis ſcribens affirmat, cũ his verbis Imperatorẽ ipſum compellat a: *Noſtra te (inquit) reprehenſio nihil offendat. Egerunt enim callide per ſuos complices (ſicut ſolent) adnuerſarij veritatis, cum ipſa, quaſi tibi facerunt, etiam titulo nominis tui praenotarunt, * exiſtimantes, quod poſito terrore tuæ perſonæ condemnationem vel etiam cauſationem ſuæ temeritatis effugerent. Verum nos illa ſcripta nolumus tua dici, quæ ſcimus cognita nobis tuæ fidei contraria.* hæc Facundus, ex quo, & plura inferius dicturi ſumus. Id ipſum quoque affirmat Vigilius Papa in ſententia aduerſus ipſum Theodorum Cæſarienſem prolata: vbi hæc verba leguntur b: *Deinde iuxta conſuetudine incitamentis, liber condemnationem capitulorum ipſorum continens, in Palatio, te aſſiſtente & inſtruente, coram quibuſdam Græciæ Epiſcopis eſt relectus, à quibus aſſentationum fauorem tuis vocibus exigebas.*

X. Quinam autem fuerit eiuſmodi Iuſtiniani libellus, ignorare ſe illum dicat opus eſt, qui non conſiderat vẽdicandum libellum illum, ſiue potius conſtitutionẽ dixerimus, à Ioannis Papæ tempore, ſub quo mẽdaci inſcriptione notatur; & hic ſub Vigilio eſſe reſtituendum, ex iis, quæ modo dicta ſunt, non intelligit. Qui enim rerum geſtarum tempora minime accurate diſtinxit, falſa opinione ad Ioannem Papam libellum illum conſcriptum eſſe putauit. Verum vt certo ſcias recentem eſſe illam inſcriptionem, conſule antiquius ſcriptam Nouellarum collectionem & translationem factam in Latinum à Iuliano Anteceſſore cognominato, & inuenies eandem conſtitutionẽ ab eo abſque illo ad Ioannem Pontificem titulo eſſe conſcriptam, hacque tantum inſcriptione notatam, *Edictum piiſſimi Imperatoris Iuſtiniani, fidei confeſſionẽ continens, & refutationem hæreſeon, quæ aduerſantur Catholicæ Dei Eccleſiæ.* hæc habet titulus, qui in collectione Conciliorum appoſito Ioannis Papæ nomine adulteratus eſt ab imperito librario: cum liquido conſtet, minime ante præſens tempus potuiſſe eſſe conſcriptum libellum illũ præcedentibus primum, quæ dictæ ſunt Theodorici cum Pelagio diacono controuerſiis, quæ ſub Papa Vigilio & nouiſſime contigerunt. Quod igitur in dicto libello totius obortæ diſcordiæ ob Tria capitula cardo vertitur, in quo pleroſque ſcimus hallucinatos eſſe: illum ipſum prolixum ſatis hic æquo ſaltem ex parte reddere, operæ pretium exiſtimamus, ſic enim ſe habet c:

XI. *Scientes, quod nihil aliud ſic poteſt miſericordem Deum placare, quam vt omnes Chriſtiani vnum idemque ſapiant in recta immaculata fide, nec ſint diſſenſiones in ſancta Dei Eccleſia, neceſſarium putauimus, omnem occaſionem intermittentes, qui ſcandalizantur, vel ſcandalizant, rectæ fidei confeſſionem, quæ in ſancta Dei Eccleſia prædicatur, præſenti edicto facere manifeſtam; vt & illi, qui rectam fidem confitentur, firmiter eam cuſtodiant; & illi, qui aduerſus eam contendunt, diſcentes veritatem, feſtinent ſemetipſos vnire ſanctæ Dei Eccleſiæ.*

XII. *Confitemur igitur credere in Patrem & Filium & Spiritũ ſanctum, Trinitatem conſubſtantialem, vnã Deitatem, ſiue naturam, & ſubſtantiam & virtutem & poteſtatem in trib. ſubſiſtentiis ſiue perſonis adorantes, in quibus baptizati ſumus, in quã credimus, & quibus confeſſionem dedimus, proprietates quidem ſeparantes, Deitatem aut vnientes: vnitatem n. in Trinitate, & Trinitatem in vnitate adoramus, mirabilem habentem & diuiſionem & vnionem: vnitatem quidem ſecundum rationem ſubſtantiæ Deitatis, Trinitatem autem ſecundum proprietates vel ſubſiſtentias, ſiue perſonas. Diuiditur enim ſine diuiſione (vt ſic dicamus) & coniungitur diuiſa. Vnũ enim eſt Deitas in tribus, & tria vnum, in quibus Deitas eſt, Aut (vt ſubtilius dicamus) ipſa trina eſt Deitas, Deus Pater, Deus Filius, & Deus Spiritus ſanctus, cum vnaquaque perſona ſolum intelligitur, mente ſeparante inſeparabilia. Et ita vnus Deus tum ſimul intelligitur propter eandem virtutem eandemque naturam, quam oportet & vnum Deum confiteri, & tres ſubſiſtentias prædicare, ſeu tres perſonas, & vnamquamque cum ſua proprietate. Et vnitatem confitentes, confuſionem non facimus ſecundum Sabellium dicentem Trinitatem vnam eſſe perſonam, trinominem eundem Patrem & Filium & Spiritum ſanctum, nec diuidentes proprietates alienamus à Dei Patris ſubſtantia Filium & Spiritum ſanctum, ſecundum Arij furorem, in tres diuerſas naturas incidentes Deitatem. Vnus igitur Deus Pater, ex quo omnia, & vnus vnigenitus Filius, per quem omnia, & vnus Spiritus ſanctus, in quo omnia.*

XIII. CHRISTI HVMANITATIS EXACTA DISCVSSIO. *Credimus autem ipſum vnigenitum Filium Dei, Deum Verbum ante ſæcula & ſine tempore ex Patre natum, non factum vltimis dieb. propter nos & propter noſtram ſalutẽ deſcendiſſe de cœlis, & incarnatum eſſe de Spiritu ſancto & ſancta glorioſa Dei genitrice ſemper Virgine Maria, & natum ex ipſa, qui eſt Dominus Ieſus Chriſtus, vnus de trinitate, & conſubſtantialis Deo Patri ſecundum Deitatem & conſubſtantialis nobis idem ipſe ſecũdum humanitatem, paſſibilis carne, impaſſibilis idem ipſe Deitate. Non enim alius quidam eſt præter Deum Verbum, qui paſſionem & mortem ſuſcepit, ſed ipſe impaſſibilis & ſempiternus Deus Verbum, generationem carnis humanæ ſuſtinere dignatus impleuit omnia. Ideo non alium Deum Verbum eſſe, qui miracula operatus eſt, & alium Chriſtum, qui paſſus eſt, cognoſcimus, ſed vnũ eundemque Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum Dei verbum incarnatum & hominem factum, & eiuſdem ipſius miracula & paſſiones, quas carne voluntarie ſuſtinuit, confitemur. Non enim homo aliquis pro nobis ſemetipſum dedit: ſed ipſe Deus Verbum ſuum corpus pro nobis dedit, ne in hominẽ fides & ſpes ſit noſtra, ſed in ipſum Deum Verbum noſtram fidem habeamus. Et Deum igitur eum confitentes, non abnegamus ipſum eſſe hominem, & hominem dicentes, non abnegamus ipſum eſſe & Deum. Si n. Deus tantummodo eſſet, quomodo patiebatur? quomodo crucifigebatur & moriebatur? Aliena enim iſta ſunt Deo. Sin autem homo ſolum, quomodo per paſſionem vincebat? quomodo ſaluos faciebat? quomodo viuificabat? Hæc enim ſupra hominis naturã erant. Nunc autem ipſe patitur & ſaluos facit: & per paſſionem vincit idem ipſe Deus, idem ipſe homo, vtrumque tamquam vnũ, vtrumque tamquam ſolum. Vnde ex vtraque natura, id eſt, ex Deitate & humanitate vnum Chriſtum compoſitum dicentes, confuſionem vnitioni non introducimus. Et in vtraq. item natura id eſt, in diuinitate & humanitate vnum Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum Dei verbum incarnatum & hominem factum cognoſcentes diuiſionem quidem per partes, vel interciſiones non ferimus vnius ſubſiſtentiæ.*

XIV. DE DVABVS IN CHRISTO NATVRIS. *Differentiam autem naturarum, ex quibus compoſitus eſt, ſignificamus non interemptã propter vnitatem, quoniam vtraque natura in ipſo eſt. Cum enim compoſitionem dicamus, neceſſe eſt confiteri & partes in toto eſſe, & totum in partibus cognoſci. Nec n. diuina natura in humanam tranſmutata eſt, nec humana natura in diuinam conuerſa eſt, Magis autem intelligitur, quod vtraq. in proprietate & ratione ſua natura manente facta eſt vnitas ſecundum ſubſiſtentiam. Vnitas autem ſecundum ſubſiſtentiam ſignificat, quod Deus Verbũ, id eſt, vna ſubſiſtentia ex tribus Deitatis ſubſiſtentiis non ante plaſmato homini vnitus eſt, ſed in vtero ſanctæ Virginis creauit ſibi ex ipſa in ſua ſubſiſtentia carnẽ animatam anima rationali & intellectuali, quod eſt natura humana. Hanc autem ſecundum ſubſiſtentiam vnitatem Dei verbi ad carnem docens nos & diuinus Apoſtolus dicit d: Qui cum in forma Dei eſſet, nõ rapinã arbitratus eſt, æqualẽ ſe eſſe Deo, ſed ſemetipſum exinaniuit, formam ſerui accipiens. Per hoc n. quod dixit, Qui cum in forma Dei eſſet, Verbi ſubſtantiã in natura Dei oſtendit: Per hoc autẽ, quod dixit, Formã ſerui accepit, naturæ hominis & non ſubſiſtentiæ, ſiue perſonæ vnitum eſſe Verbum ſignificauit. Nec enim dixit, quod eum qui in forma ſerui erat, accepit, ne ante plaſmato homini vnitum eſſe Deum Verbum oſtenderet, ſicut Theodorus Mopſueſtenus & Neſtorius impij blaſphemauerunt effectualem dicentes vnitatem.*

d Philip. 2.

XV. *Nos autem ſequentes diuinas Scripturas & ſanctos Patres, confitemur, quod Deus Verbum caro factus eſt, quod eſt ſecundum ſubſiſtentiam ſibi vnire naturam humanam. Ideo & vnus eſt Dominus noſter Ieſus Chriſtus habens in ſemetipſo perfectionẽ diuinæ naturæ & perfectionem naturæ humanæ. Et eſt vnigenitus quidem & verbum, vtpote à Deo Patre natus, & primogenitus autẽ in multis fratribus idem ipſe cum factus homo: Filius enim Dei Filius hominis factus eſt. Vnde & duas natiuitates eiuſdem ipſius vnigeniti Dei verbi confitemur, ante ſæcula quidem ex Patre incorporaliter nati, in vltimis autem diebus eiuſdem ipſius incarnati & nati de ſancta glorioſa Dei genitrice & ſemper Virgine Maria. Qui enim de Patre ſplenduit ſupra intellectum, ex matre ortus eſt ſupra rationẽ: & cum Deus verus eſſet, factus eſt vere homo. Ideo proprie & vere Dei genitricem ſanctam glorioſam & ſemper Virginem Mariam confitemur: non quod Deus Verbum initium ex ipſa accepit, ſed quod in vltimis dieb. vnigenitus Deus verbum, qui ante ſæcula erat, incarnatus ex ipſa, immutabiliter homo factus eſt: & cum inuiſibilis in ſuis eſſet, viſibilis factus eſt in noſtris: & cum impaſſibilis Deus eſſet, non dedignatus eſt paſſibilis eſſe homo, & immortalis mortis legib. ſubiacere. Iſtum, qui in Bethlehem de ſemine Dauid natus eſt ſecundum carnem, & ſimilis factus eſt hominibus, & crucifixus eſt pro hominib. ſub Pontio Pilato, prædicauerunt S. Apoſtoli ipſum eſſe Deum, ipſum hominem, ipſum Filium Dei, ipſum Filium hominis, ipſum de cælo, ipſum de terra, ipſum impaſſibilem, ipſum paſſibilem.*

XVI. *Deus enim verbũ, qui natus eſt deſurſum ex Patre ineffabiliter, inenarrabiliter, incõprehenſibiliter, ſempiterne, ipſe in tempore naſcitur deorſum de Virgine Maria, vt illi, qui deorſum prius nati ſunt, deſurſum ſecundo naſcerentur, id eſt, ex Deo. Cum enim accepiſſet mortalem patrem hominũ Adam, dedit hominib. ſuum Patrem immortalem, ſecundũ quod dicitur* [a Ioan. 1.] *: Dedit eis poteſtatem filios Dei fieri. Vnde & mortem ſecundum carnem guſtauit Filius Dei propter carnalem ſuum patrem**[* ſuam matrem,]*: vt filius hominis vitæ eius particeps fieret propter ſuũ ſecundum ſpiritũ Patrem Deum. Ipſe igitur ſecundum naturam Filius eſt Dei, nos ſecundum naturam ſumus filij Adam. Pater enim eſt eius Deus ſecundum naturã, noſter autem ſecundum gratiã: & Deus ei fuit ſecundum diſpenſationem, eo quod homo factus eſt: noſter autẽ ſecundum naturam Dominus eſt & Deus: & ideo Deus Verbum, qui eſt Filius Patris, vnitus carni factus eſt caro, vt homines vniti ſpiritui fierent vnus ſpiritus. Ipſe igitur verus Filius Dei omnes nos induatus eſt, vt omnes induamus vnum Deũ, & eſt poſt incarnationẽ vnus de S. Trinitate vnigenitus Filius Dominus noſter Ieſus Chriſtus, compoſitus ex vtraq; natura: compoſitum autem Chriſtum confitemur, ſanctorum Patrum doctrinã ſequentes. In myſterio enim Chriſti vnitas ſecundum cõpoſitionem, confuſionẽ & diuiſionem reiicit, & ſeruat quidem vtriuſque naturæ proprietatem. Vnam autem ſubſiſtentiam, ſeu perſonã Dei Verbi & cum carne oſtendit: & eſt vnus, idemque perfectus in Deitate & perfectus in humanitate, non tanquam in duabus ſubſiſtentiis, ſiue perſonis, ſed in diuina natura & humana cognoſcendus, vt vnus ſit vtraque perfectus Deus & perfectus homo, idem ipſe Dominus noſter Ieſus Chriſtus vnus de S. Trinitate, conglorificandus Patri ſanctoque Spiritui: nec enim quartæ perſonæ adiectionem ſuſcepit S. Trinitas incarnato vno de ſancta Trinitate Deo verbo.* His de Verbi incarnatione quam exactiſſime aſſertis, ſubiicit ad omnia confirmanda ſanctorum aſſertiones, quas nos breuitatis cauſa referre prætermittimus.

XVII. ÆMVLATIO THEODORI. Voluit enim Theodorus Cæſarienſis Iuſtinianũ non minus eſſe prolixum in his edendis, ac fuerat in conſtitutione ſcripta contra Origenẽ: ſed & quod perſuaſerat Imperatori ſub huius fidei profeſſione Acephalos Eccleſiæ vniendos, eam omni genere doctrinę voluit eſſe refertã, omniq; ex parte conſtantẽ. Vbi autem de enarrato incarnationis diuinæ myſterio longiorẽ produxit orationem, poſtea ſubiungit de his, quæ ſpectant ad confeſſionem quatuor œcumenicorum Conciliorum, nempe Nicæni, Conſtantinopolitani, Epheſini, & Chalcedonenſis, ita vt quemq; Catholicum gaudio afficere potuiſſet, dum diſertis verbis probit eandem, q̃ hactenus deteſtati eſſent Acephali hæretici Catholicæ fidei confeſſionem. Sed cum poſt hæc quatuordecim ſubiicit anathematiſmos, illis vltimo loco tria illa includit capitula, de quib. ſuper mẽtio fieri cœpta eſt. Anathematiſmi autẽ ſic ſe habent.

XIIX. ANATHEMATISMI ADVERSUS DISSIDENTES PROLATI. *Si quis non confitetur Patrem & Filium & Spiritum S. Trinitatem conſubſtantialem, & vnam Deitatem, ſiue naturam & ſubſtantiam, & vnam virtutem & poteſtatem in tribus ſubſiſtentiis, ſiue perſonis adorandam: talis anathema ſit.*

*Si quis autem non confitetur eum, qui ante ſæcula & tempora ex Patre natus eſt, Deũ Verbum in vltimis diebus deſcendiſſe de cælis, & incarnatum eſſe de ſancta glorioſa Dei genitrice ſemper Virgine Maria, & hominem factum & natum eſſe ex ipſa, & propter hoc eiuſdem Dei verbi duas eſſe natiuitates, quæ eſt ante ſæcula incorporaliter, & quæ eſt in vltimis diebus ſecundum carnem, anathema ſit.*

XIX. *Si quis dicit alium eſſe Deum Verbum, qui miracula operatus eſt, & alium Chriſtum, qui paſſus eſt, aut Deum Verbum cum Chriſto eſſe naſcente ex muliere dicere, ** [* vel Dei in ipſo] *vel ipſo eſſe tamquam alterum in altero, ſed non vnum eundemque Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum Deum Verbum incarnatum & hominem factum, & eius ipſius miracula & paſſiones, quas carne ſponte ſuſtinuit: talis anathema ſit.*

XX. *Si quis dicit, ſecundum gratiam, vel ſecundum operationem, vel ſecundum dignitatem honoris, vel ſecũdum auctoritatem, vel relationem, vel effectum, vel virtutem vnitionem Dei Verbi ad hominem eſſe factam, vel ſecundum homonymam**[*homonymiam,]*, per quam Neſtoriani & Deum Verbum vocantes Chriſtum & hominem, ſeparatim Chriſtum nominantes, ſolo vocabulo vnum Chriſtum dicunt: Aut ſi quis per bonã voluntatem dicit vnitionem factam eſſe, ſicut Theodorus hæreticus ipſis verbis dicit, quaſi quod placuit Deo verbo homo, eo quod bene viſum eſt ei de ipſo, ſed non ſecundum ſubſiſtentiam Dei Verbi ad carnem animatam anima rationali & intellectuali vnitionem confitetur, & ideo vnam eius ſubſiſtentiam eſſe: talis anathema ſit.*

XXI. *Si quis per relationem, aut abuſiue Dei genitricem ſanctam glorioſam ſemper Virginem Mariam dicit, aut hominis genitricem, aut Chriſtotocon, tanquam Chriſto Deo non exiſtente, ſed non proprie & vere Dei genitricem ipſam confitetur, eo quod ipſe, qui ante ſæcula ex Patre natus eſt Deus Verbum, in vltimo ex ipſa incarnatus & natus eſt: talis anathema ſit.*

XXII. *Si quis non confitetur Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, qui carne crucifixus eſt, eſſe verum & Dominum gloriæ & vnum de S. Trinitate: talis anathema ſit.*

XXIII. *Si quis in duabus naturis dicens non tanquam in Deitate & humanitate vnum Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, Deum Verbum incarnatum confitetur, nec ad ſignificandam differentiam naturarum, ex quibus compoſitus eſt, ſed pro diuiſione per partes talem excipit vocem in myſterio Chriſti, quaſi ſeparatim vnaquaque natura ſuam habente ſubſiſtentiam, ſicut Theodorus & Neſtorius blaſphemauerunt, talis anathema ſit.*

*Si quis in vno Domino noſtro Ieſu Chriſto, hoc eſt, Deo Verbo incarnato, numerum confitens naturarum, non intellectu differentiam earum, ex quibus & compoſitus eſt, excipit, vtpote non interemptam propter vnitatem, ſed pro diuiſione per partem numero vtitur: talis anathema ſit.*

XXIV. *Si quis dicens vnam naturam Dei Verbi incarnatam; non ſic hoc intelligit, quod ex diuina natura & humana vnus Chriſtus effectus eſt, conſubſtantialis Patri ſecundum Deitatem, & cõſubſtantialis nobis idem ipſe ſecundum humanitatem: ſed quod Deitatis & carnis Chriſti vna natura, ſiue ſubſtantia effecta eſt ſecundum Apollinaris & Eutychetis perfidiam: talis anathema ſit. Æqualiter enim & eos, qui per partem incidunt, vel diuidunt, & eos, qui confundunt diuinæ diſpenſationis myſterium Chriſti, reiicit & condemnat vniuerſalis Dei Eccleſia.*

XXV. *Si quis non anathematizat Arium, Eunomium, Macedonium, Apollinariũ, Neſtorium, & Eutychetem, & eos, qui ſimilia eis ſapuerũt, vel ſapiunt: talis anathema ſit.* Qui autem ſequuntur tres anathematiſmi continent Tria capitula, de quibus agitata diu controuerſia poſt hæc fuit. Ex eo enim, quod in Concilij Chalcedonenſis Actione decima recitata reperitur Ibæ Epiſtola, in qua Theodorus Mopſueſtenus laudatur, accuſatur vero ſanctus Cyrillus ex calumniis in eum à Theodoreto illatis, quaſi particeps fuiſſet ſententiæ Apollinaris: ne occaſione illius Epiſtolæ quis Theodorum recipiendum eſſe putaret, vel Theodoreti ſcripta contra Cyrillum probanda, aut ipſam Ibæ nomine recitatam dictam Epiſtolam receptam eſſe quis aſſereret ab eodem Concilio Chalcedonenſi; ex tribus,

inquam,

inquam, his cauſis, tres, qui ſequuntur formati ſunt anathematiſmi, ex quibus Tria capitula poſt hæc denitata inueniuntur; quorum primus contra Theodorum ſic ſe habet.

XXVI. PRIMVM EX TRIBVS CAPITVLIS.

*Si quis defendit Theodorum Mopſueſtenum qui dixit, alium eſſe Deum Verbum, & alium Chriſtum à paſſionibus animæ & deſiderijs carnis moleſtias patientem, & ex profectu* operum melioratum, & baptizatum in nomine Patris & Filij & Spiritus ſancti, & per baptiſma gratiam ſancti Spiritus accepiſſe, & adoptionem meruiſſe, & ad ſimilitudinem imperialis imaginis in perſonam Dei verbi adorari, & poſt reſurrectionem immutabilem cogitationib. & impeccabilem omnino factum fuiſſe: & iterum dixit talem factam eſſe vnitionem Dei verbi ad Chriſtum, qualem dixit Apoſtolus a de viro & muliere, erunt duo in carne vna: Et ſuper alias ſuas innumerabiles blaſphemias auſus eſt dicere quod poſt reſurrectionem cum inſufflaſſet Dominus diſcipulis ſuis & dixiſſet b, Accipite Spiritum ſanctum, non dedit eis Spiritum ſanctum, ſed figuratiue tantummodo inſufflauit. Sed etiam confeſſionem, quam fecit Thomas, cum palpaſſet manus & latus Domini poſt reſurrectionem, dicēs c Dominus meus & Deus meus, inquit non eſſe dictam à Thoma de Chriſto. Nec enim dixit Theodorus, Deum eſſe Chriſtum ſed ad miraculum reſurrectionis ſtupefactum Thomam glorificaſſe Deum, qui Chriſtum reſuſcitauit. Et quod peius eſt, etiam in interpretatione, quam in actus Apoſtolorum ſcripſit Theodorus, ſimilem fecit Chriſtum Platoni & Manichæo, & Epicuro & Marcioni: quod ſicut illorum vnuſquiſque ex dogmate quod inuenit, ſuos diſcipulos fecit vocare Platonicos & Manichæos, & Epicureos & Marcioniſtas, ſimili modo & cum Chriſtus dogma inueniſſet ex ipſo Chriſtianos vocari. Si quis igitur defendit eundem Theodorū, qui talia blaſphemauit, & non anathematizat eum & eius ſcripta, & eos qui ſimilia illis ſapuerunt, vel ſapiunt: talis anathema ſit.*

* perfectu

a Epheſ. 5.

b Ioan. 20.

c Ioan. 20.

XXVII. SECVNDVM EX TRIBVS CAPITVLIS.

*Si quis defendit conſcripta Theodoreti, quæ expoſuit pro Neſtorio hæretico aduerſus rectam fidem, & Epheſinam primam ſanctam Synodum, & S. Cyrillum, & duodecim eius capitula, in quibus ſceleratis conſcriptis idem Theodoretus effectualem dicit vnitatem Dei verbi ad hominem quemdam, de quo blaſphemans dixit, quod palpauit Thomas eum, qui reſurrexit, & adorauit eū, qui reſuſcitauit; & propter hoc impios vocat doctores Eccleſiæ, qui vnitatem ſecundum ſubſiſtentiam Dei Verbi ad carnem confitētur, & ſuper hæc Dei genitricem abnegat ſanctam & glorioſam ſemper Virginem Mariam. Si quis igitur memorata ſcripta Theodoreti defendit, & non anathematizat ea, talis anathema ſit. Propter tales enim blaſphemias ab Epiſcopatu eiectus eſt, & poſtea in ſancto Chalcedonenſi Concilio compulſus eſt omnia contraria memoratis ſuis conſcriptis facere & rectam fidem confiteri.*

XXIIX. TERTIVM EX TRIBVS CAPITVLIS.

*Si quis defendit impiam epiſtolam, quam ad Marim Perſam hæreticum Ibas conſcripſiſſe dicitur, quæ abnegat Deum Verbum hominem factum eſſe & dicit non Deum verbum ex virgine incarnatum eſſe, ſed purum hominem ex ipſa eſſe natum, quem templum vocat, vt alius ſit Deus verbum & alius homo: & ſuper hæc iniuriat Epheſinam primam Synodum, quaſi ſine inquiſitione & examinatione ab ipſa Neſtorio condemnato: & S. Cyrillum vocat hæreticum, & duodecim eius capitula impia dicit: Neſtorium autem & Theodorum cum impiis eorum conſcriptis collaudat & defendit: Si quis igitur (ſicut dictum eſt) eamdem ipſam epiſtolam vindicat, vel rectam eſſe dicit ipſam vel partem ipſius, & non anathematizat eam: anathema ſit.* Hactenus anathematiſmi, quorum tres nouiſſimi (vt diximus) complectūtur tria illa capitula, de quibus mota controuerſia eſt, additis his, quæ ſequuntur.

XXIX.

*Talis ergo* (ſubdit ipſe) *epiſtola iuſte anathematizata propter inſertas ei blaſphemias, Theodori & Neſtorij impietatis ſequaces conantur dicere ſuſceptam eſſe etiam à ſancto Chalcedonenſi Cōcilio. Hoc autem dicunt, ſanctam quidem Chalcedonenſem Synodum calumniantes, nomine autem eius feſtinantes debita condemnatione liberare Theodorum & Neſtorium & impiam epiſtolam, pro qua Ibas ſæpius accuſatus non eſt auſus dicere eſſe ſuam propter inſertas ei blaſphemias*, &c. pergit agere de actis Tyri, cum ibi cauſa ventilata eſt Ibæ, item de actis Chalcedonenſibus, negans à Synodo ipſa Ibæ epiſtolam eſſe receptam, quam inquit ipſum Ibam negaſſe eſſe ſuam, vnde ſubdit: *Si igitur ipſe Ibas propter impiam epiſtolam ſæpius accuſatus, non eſt auſus eam ſuam dicere, ſed etiam Chalcedonenſe Concilium omnia ei contraria compulit eum peragere: quomodo eadem ſancta Synodus memoratam epiſtolam ſuſciperet, & condemnationi impietatis, quæ in ea continetur, ſe ſubiiceret, à qua Ibam liberare feſtinauit?* Iſta autem, quæ adeo Imperator inculcat, non auſum Ibam profiteri epiſtolā eſſe ſuā, quomodo ſubſiſtant, conſule, quæ dicta ſunt ſuperiori tomo, vbi de rei geſtæ veritate accuratiſſime actum eſt.

XXX.

Sed quod ita rem geſtam eſſe putauit idem Iuſtinianus Imp. ibidem poſt multa ſubiicit ex eiuſdem epiſtolæ Ibæ nomine editæ occaſione, quod doloſe hæretici, vt Catholici haberentur, multa ponant, quæ à Catholicis dici debent; vt cum in ea auctor confitetur in Chriſto naturas duas, vnam vero perſonam, vt Orthodoxi profiteri ſolent; cum tamen aliter vocem naturæ atque perſonæ ipſi accipere conſueuerint. vnde ſubiungit: *Nihil autem mirandum, ſi vocabulo naturarum vſus eſt ſcriptor impiæ illius epiſtolæ: Solent enim hæretici, vt ſimpliciores decipiant, vocibus quidem vti, quæ ab Orthodoxis pie dicuntur, rectum autem eorum intellectum & expoſitionem ad ſuam impietatem transferre.* Rurſus vero aduerſus eoſdem, qui Synodi eſſe dicerent cuncta, quæ in Actis Synodi reperirentur, ſicque inurere notam hac via, viderentur Concilio Chalcedonenſi, quod plura in eo reperirentur eſſe hæreticorum: his occurrens idem Iuſtinianus Imperator, poſt alia iſta ſubiicit.

XXXI. QVÆ RATIO HABENDA SYNODALIVM ACT.

*Quæ enim de hæreticis proferuntur in Synodis & pars Geſtorū ſunt, non ad deliberationem inſeruntur ſed ad maiorem condēnationem eorum, & qui eis ſimilia ſapiunt. Oportet autem etiā illud attendere eos, qui veritatem perſcrutantur, quod forſan in Conciliis quædam à certis illi conuenientib. dicuntur aut per fauorem, aut per contrarietatem, aut per ignorantiam: Nemo autē attendit ea, quæ per partem à quibuſdam dicuntur, ſed ſola illa, quæ ab omnibus communi conſenſu definiuntur. Si n. aliquis ſecundum illos voluerit attendere huiuſmodi contrarietates, vnaquæq; Synodus inuenietur ſeipſam deſtruens. Propter hoc igitur oportebat eos ſi ſanctum Conciliū recte ſuſciperent, non tales blaſphemias ei applicare, ſed ſequi doctores Catholicæ Eccleſiæ, &c.*

XXXII. DE SYMBOLO THEODORI MOPSVESTENI.

Ad poſtremum autem de Theodoro damnando, cuius rei gratia omnia, quæ eadem conſtitutione ſuperius dicta ſunt præmiſſa videntur: iſta addit Imperator poſt alia in hominis deteſtationem ſæpius inculcata: *Impio enim Theodoro* (inquit) *non ſuffecit ſuper alias eius blaſphemias ad ſuum errorem male interpretari ſymbolum trecentorum decem & octo ſanctorum Patrum. ſed etiam contempto eo, aliud ſymbolū expoſuit omni impietate plenū, in quo anathematizare auſus eſt eos, qui aliter ſapiunt, vel tradunt. vt quantum ad illius inſaniam pertinet, omnes ſancti Apoſtoli & Patres condemnarentur. Hoc autē Theodori impium ſymbolum & in Epheſina prima Synodo prolatum & in Chalcedonenſi recitatum, ab vtraq; Synodo cum eius expoſitione & eis, qui illud ſuſcipiunt, condemnatum eſt.*

XXXIII.

*Quoniam autem quidam verba pro Theodoro facientes, cum proferunt impia eius conſcripta, propter inſertam eis blaſphemiam, confingūt quidem dicere, quod impia ſint: ipſum autem, qui talem iniquitatem enomuit, recuſant anathematizare miramur eorum dementiam, quod diuinæ ſcripturæ contraria agunt euidenter dicenti d, quod æqualiter horribilia ſunt apud Dominum impius & impietas: actio namque cum auctore punietur. Si autem ſimiliter impietati horribilis eſt Deo ille, qui impie agit, certe ſeparatus eſt talis à Deo & anathemati iuſte ſubiicitur. Anathema autem nihil aliud ſignificat, niſi à Deo ſeparationem, ſicut in veteri & nouo Teſtamento indicium de anathemate ſignificat: Quod autem & Dominus eos, qui non permanent in verbo veritatis ipſius ſeparatos eſſe ab Eccleſia dixit: in Euangelio ſecundum Ioannem Iudæos alloquens ſic ait e: Omnis, qui facit peccatum, ſeruus eſt peccati: ſeruus autem non manet in domo in æternū. Quod autem Dominus nominat domum, diuina ſcriptura Eccleſiam Dei viui vocat: id Apoſtolus teſtatur f in epiſtola prima ad Timotheū.*

d Sap. 14.

EXCOMMVNICATVS THEODORVS.

e Ioan. 8.

f 1. Tim. 3.

XXXIV. POST MORTEM ETIAM POTEST INFLIGI ANATHEMA.

*Si vero quidam dicunt non oportere Theodorum poſt mortem anathematizari: ſciant qui talem hæreticum defendunt quod omnis hæreticus vſque ad finem vitæ in ſuo errore permanens iuſte perpetuo anathemati & poſt mortem ſubiicitur: & hoc in multis hæreticis & antiquioribus & propioribus factum eſt, id eſt Valentino, Baſilide Marcione Cerintho Manichæo Eunomio & Bonoſo: hoc autem idem & in Theodoro factum eſt. & noTatus*



accuſa-

*accuſato, & poſt mortem anathematizato à ſanctis Patribus: quib. ſi credere voluerint, vt heretici eius defenſores vel impiæ epiſtolæ, quam ipſi defendunt, credant: qua licet Theodorum collaudet, manifeſte tamen dixit quod in Eccleſia à ſanctis Patrib. anathematizatus eſt, & ex illo plurima inquiſitio facta eſt de eius conſcriptis, vt pote planius imputare. Hoc autem tunc faciebant Catholicæ Eccleſiæ doctores, ne ſimpliciores legentes illius impia conſcripta, à recta fide declinarent.*

XXXVI. DAMNATI POST MORTEM HÆRETICI. *Quod autem impij licet non in vita in ſuam perſonam anathema ſuſceperint, tamen poſt mortem anathematizantur à Catholica Eccleſia, oſtenditur à ſanctis Synodis. Nicæna enim Synodus eos, qui impij Arij ſectam colunt ſine nomine anathematizauit: quæ autem Conſtantinopoli congregata eſt, impiam Macedonij hæreſim ſimiliter condemnauit, ſi tamen Dei ſancta Eccleſia & poſt mortem Arium & Macedonium nominatim anathematizat. Cum autem ex multis probationibus conuincitur, quod ſuperuacue & impie agunt, qui Theodorum & impietatem eius defendunt: ad aliam vanam occaſionem confugiunt, dicentes non oportere eum anathematizari, eo quod in communicatione Eccleſiarum mortuus eſt.*

XXXVI. THEODORVS ASYA ECCLES. DAMNATVS. *Oportebat autem ſcire eos, quod illi moriuntur in communicatione Eccleſiarum, qui commune pietatis dogma quod in vniuerſali Eccleſia prædicatur, vſque ad finem ſeruauerint: iſte autem vſque ad mortem in ſua permanens impietate, ab omni Eccleſia eiectus eſt. Itaque & omnis plenitudo Mopſueſtenæ Eccleſiæ in qua Epiſcopus dicitur fuiſſe, cum inueniſſet, quod Paganis & Iudæis & Sodomitanis à ſanctis Patrib. connumeratus eſt, deleuerunt ipſi ex illo de* * *ſacris Eccleſiæ Diptychis eius nomen ſicut Geſta in eadem ciuitate apud Concilium Epiſcoporum illius prouinciæ confecta oſtendunt. Miramur igitur Theodori ſequaces, qui eum & impietatem eius tamquam ſuam defendunt, cum Eccleſia, in qua fuit Epiſcopus, vt pote hæreticum, ex multis temporibus eum eiecit.*
** à*
hæc & alia Imperator, ſubiiciens plura exempla, quibus pateret & damnari & abſolui conſueuiſſe mortuos, qui viuentes vel damnari, vel abſolui meruiſſent. Atque demum eiuſmodi conteſtatione finem imponit ipſi, quam de fide conſtitutionem conſcripſit.

XXXII. CONTESTATIO IMP. *Si quis igitur poſt eiuſmodi rectam confeſſionem, & hæreticorum condemnationem ſaluo manente pio intellectu de nominibus vel ſyllabis vel dictionibus contendens, ſeparat ſe à ſancta Dei Eccleſia: tamquam non in rebus, ſed in ſolis nominibus & dictionibus poſita nobis pietate: talis, vt pote diſſenſionib. gaudens, rationem pro ſemetipſo & pro deceptis & decipiendis ab eo reddet magno Deo & Saluatori noſtro Ieſu Chriſto in die iudicij.* hactenus Iuſtiniani de fide Catholica promulgatum edictum, non ob aliam cauſam (vt vult Liberatus) quam ob æmulationem Theodori Cæſarienſis in Pelagium diaconum, qui Origenem damnari curaſſet.

XXXIIX. DE TRIBVS CAPITVLIS SVMMA. Antequam autem vlterius de his progrediatur oratio, hic ad limen monendum putamus lectorem, quod etſi demum poſt obortas plurimas controuerſias, immenſaque parta diſſidia Catholica Eccleſia ſententiam Iuſtiniani Imperatoris contra Tria capitula ſit ſecuta, tamen hoc ipſo exordio propoſitæ quæſtionis, immo aſſertæ ab Imperatore ſententiæ, contra eadem Tria capitula complures Orthodoxi, immo & ipſe Vigilius Romanus Pontifex, quaſi vindices Chalcedonenſis Concilii, in cuius præiudicium ea viderentur ab Imperatore ſancita, inſurrexere. Cum autem perſpicue pleneque cognitum fuit, nequaquam derogatum ſacroſancto Concilio Chalcedonenſi per damnationem Trium capitulorum ipſa in primis Apoſtolica ſedes eam Imperatoris edicto primum promulgatam & poſtea per Quintam Synodum confirmatam aſſertionem probauit atque retinuit, itumque eſt à Catholicis omnibus in eamdem ſententiam cum Quinta Synodo habita Conſtantinopoli & cum ipſis Romanis Pontificibus, aliiſque Apoſtolicæ ſedi communicantibus: Qui vero poſtea ab his diſſenſere, vt ſchiſmatici habiti ſunt atque reiecti: cum tamen interea ante nouiſſimum Apoſtolicæ ſedis aſſenſum non eſſet piaculum pro Tribus pugnare capitulis, cum præſertim in ea aſſertione habuerint aliquando, quem ſequerentur ipſum Vigilium Romanum Pontificem.

Quo etiam tempore qui Tria capitula defendebant, pugnare ſe æque pro Synodo Chalcedonenſi præ ſe tulerunt, cum nihil vellent de eodem ſacroſancto Concilio imminutum: nec ita impugnabant Imperatoris edictum illud aduerſus Tria capitula datum, vt errores dogmatum, qui ſiue in Theodoro, ſiue in Iba, vel Theodoreto iure condemnabantur, defendendos putarent: reſpuebant enim & ipſi eorum errores & execrabantur: ſed erat ab iſtis pro perſonis inſtituta defenſio, nempe contendentibus non eſſe damnandum Theodorum Mopſueſtenum, quem indemnatum à Patribus conſtaret eſſe in Catholica communicatione defunctum; neque Ibam vel Theodorum, quos damnatos hæreſes Chalcedonenſis Synodus recepiſſet: neq; faceſſendum negotiũ mortuis dictitabant, quos in pace Eccleſiæ eſſe defunctos, nec ab ea fuiſſe reiectos, probari poſſet. Sic igitur iſti pro Tribus pugnantes capitulis, nequaquam defendebant (vt dictum eſt) quæ dicebantur repertæ hæreſes in commentariis Theodori, neque errores in epiſtola Ibæ enunciatiue inſertos, vel antea iam improbata ſcripta Theodoreti aduerſus duodecim Cyrilli capitula, quæ omnia ipſi etiam reſpuebant, retinentes pariter quæcumque in ſacroſancti Concilii Chalcedonenſis Actis eſſe inuenirentur intexta, & defendentes licet epiſtolam Ibæ, nequaquam blaſphemiis in ea relatis patrocinabantur: cum tamen iidem omnes aduerſus Iuſtinianum Imperatorem tanta ſibi in Eccleſia Catholica arrogantem inueherentur, atque edicto ab eo promulgato ſimul aduerſarentur: quo nomine (vt dictum eſt) inter alios ipſe Facundus Hermianenſis in Africa Antiſtes ſcriptum aduerſus eumdem Imperatorem pro Trium capitulorum defenſione volumen edidit. XXXIX.

Porro defenſores iſti laudari aliquando ſunt, cum quem ſequerentur, haberent Vigilium Romanum Pontificem; interdum vero tolerati, cum de huiuſmodi controuerſia quid ſancta Synodus definiret, expectaretur: reprobati autem tunc penitus, vbi damnante Tria capitula Quinta Synodo, & eam poſtea probante Vigilio, atque ſucceſſoribus Romanis Pontificibus, ipſi ab ea nimis obſtinate reſilierunt. Hæc eſt ſumma totius hiſtoriæ immo tragœdiæ, vtpote per quam plurima damna Eccleſiæ Catholicæ noſcuntur illata, quæ tu ipſe plorabis, cum legeris. His autem ſummatim ingeſtis, quorũ meminiſſe debes, proſequamur iam ſuo ordine cœptam hiſtoriam, & in primis de Iuſtiniani Imperatoris conatu in edicto illo promulgando, eodemq; ab aduerſariis in deteriorem partem accepto, atque proinde reiecto. XL. DEFENSORVM TRIVM CAPP. TRIPLEX STATVS.

Cum ergo ea omnia velamento quodam pacis agerentur, factũ eſt, vt animoſius ab Imperatore Epiſcopis ſubſcribenda ingererentur. Nam de vnione promiſſa iſta Facundus a: *His igitur ita fraudulenter agentibus, ac neſcio quam promittentibus vnitatem, quaſi etiam ſequeretur, confuſio potius dicenda eſſet*, &c. Sed iuſtius, etſi tamen acrius, dum inferius in Zenonẽ perfidũ Imperatorem inuehitur, qui impia illa excogitata vnione, de vnitate pariter impium olim promulgauit edictum, ipſum Iuſtinianum Imperatorem coarguit atque perſtringit, vbi poſt multa b: *Etiam aliud deterius addens ait, quod ſanctæ quæ vbiq; eſſent Catholicæ Eccleſiæ & qui eis præeſſent Deo amabiles ſacerdotes non aliter deberent credere: quaſi omnium fides Eccleſiarum ex eius voluntate penderet & nemini liceret aliter credere quã præciperet Imperator. Videbat (vt arbitror) quoſdã timidos vel rerũ temporaliũ cupidos ſibi fauere, & ex illis cæteros exiſtimabat: quib. etſi vocẽ contradictionis abſtulerat, animũ certe mutare nõ potuit. Nec enim amplius aliquid mundi poteſtas valet in his, quos liberæ fidei aſſertioni retraxerit, niſi vt in illis dimidiant, quod Dominus ait c: Qui me erubuerit & meos ſermones, hunc filius hominis erubeſcit, cum venerit in maieſtate ſua* * *& ſanctorum Angelorum. Aliquid ergo ſibi mundana poteſtas Eccleſiæ valet auferre, nullum ſibi tamen acquirere. Melius ergo eſt, vt ſemet intra limitem ſuum contineat, quem cum tranſgreditur, perdere multos poteſt lucrari neminem. Nã & ſuas habeat officinas vel artifices, omniaq; ex propoſito decerni videmus. Nũquam n. de textrina perſonare iudices audiuimus, & ignobilis in fornacib. an-*
XLI. a Facund. pro defenſ. Cap. Li.
IN ZENONE ET DARGVITVR IVSTINIANVS. b Facund. pro defenſ. Cap. lib. 2. infra.
c Luc. 9. * in præſentia.

*lare. Numquam compertimus à ſutore quæſitum, quæ cuiuſque fabricæ proportio latitudinis conueniret, & quanta vtriuſque conueniens congrueret altitudo: quoniam illa integre ſcire poſſunt, quæ ab ipſis artis ſunt præceptoribus inſtituta ſchola.* hæc licet in Zenonem ab ipſo eſſe videantur dicta, in Iuſtinianum tamen vult retorqueri, qui cum eſſet penitus illiteratus, eruditas tamen ſibi arrogaret de fide Catholica edere ſanctiones, quas doloſe conſcripſiſſent hæretici. Pergit vero Facundus:

XLII. NON ESSE IMP. SANCIRE LEGES ECCLESIÆ. *In contemptu ſunt diuinæ literæ, quæ nec ſuam ſcholam, nec magiſtros habeant, vt de quib. peritiſſime diſputare ſe credat, qui numquam didicit. Deinde, cum Palatij cauſæ transferantur ad Eccleſiam: quomodo Eccleſiæ cauſam ad Palatium transferebat? Poſtremo, numquid iam domuerat, vel pacauerat omnes infenſas Reipublicæ barbaras nationes? iam per vniuerſas Imperij ſui prouincias ſeditiones ac ſeditionum cauſas abſtulerat? iam cunctis criminalium ſiue ciuilium cauſarum, qui illis conueniens, dederat finem? Cum ergo his non ſufficeret, quibus nemo ſufficere poteſt, quomodo ſi cogitaret tanta loci ſui pericula, & de omnibus ſe rationem crederet redditurum, etiã periculis ſe alienis immergeret.*

XLIII. FACVNDVS PERSTRINGIT IVSTIN. En, quam belle, ſed argute magis Facundus in Zenonem intendens tacula, eadem in Iuſtinianum ex peritia bellicæ artis vibrat: quippe qui (vt etiam damnat Procopius) cum vndique ingruerent bella & ſeditiones, ipſe tamen totus eſſet intentus diſputationibus diuinæ Scripturæ. Quantum, rogo, ipſi in his temporis inſumẽdum fuit, vt qui nec prima elementa calleret, vel legere poſſet eiuſmodi perplexas quæſtiones, vel ſaltem leuiter intelligeret? quamque facile, vt non auditis, quę obiicerentur ab aduerſariis, in ſuam eum ſententiam traherent, qui iam eius pręoccupaſſent aures? At quis in tantum diſcrimen fidem Catholicam adducendam eſſe cenſeat, vt qui eiuſmodi eſſet, & de fide leges ſanciret, vniuerſam Eccleſiam Catholicam eiſdem parere obligaret? Hæc addidiſſe voluimus ad roborandam Facundi ſententiam, qua tum Vigilio tunc Tria capitula defendebat.

XLIV. ADVLATIONE IMPERATORES DEMENTES. Sed vnde iſta mala in ipſum prouenerint Iuſtinianum, etiam ſub Zenonis perſona idem auctor declarat, cum hęc addit: *Ad hoc autem deteſtandum facinus adulantium laudibus eum credimus excitatum, cum ei dicerent, quemadmodum ſolent: quod omnes ſuos deceſſores ſapientia & religione præcelleret: quod nullus ei poſſet in vniuerſis, qui eſſent, vel fuiſſent Dei ſacerdotibus comparari. Quibus ille credulus exiſtimauit per ſingularem ſapientiam, quam ei præter aſſentatores nemo tribueret, inuenire ſe poſſe rationem faciendæ vnitatis, quã nullus ante per tot tempora potuerit inuenire.* hæc & alia prudẽtiſſimus Eccleſiaſticus agoniſtes Facundus, cum inter Catholicos militans, ea ſcriberet, iubente Vigilio Catholicæ ſedis Antiſtite, imprudentem Iuſtiniani conatum ſugillans, atque ſimul omnes Principes illos arguens, qui immiſcentes ſe fidei cauſæ, tantum ſibi ſumunt, vt non vereantur legem credendi præſcribere Chriſtianis.

XLV. STEPHANVS APOCRISIARIVS RESISTIT IMP. Imperator igitur ſimulac de fide tale promulgauit edictum, ſciens eiuſmodi conſtitutiones nullarũ virium eſſe, niſi ab Epiſcoporum ſubſcriptione auctoritatẽ acciperent: primum omnium Apoſtolicæ ſedis Apocriſarium ibi degentem Stephanum diaconum, vt id faceret, vehementer rogauit: ſed tantum abeſt, vt illum ad id pręſtandum impellere potuerit, vt eundem maximum ſuis conatibus expertus fuerit aduerſarium, ſicut & Dacium Mediolanenſem Epiſcopum, qui tunc item erat Conſtantinopoli: iidem vero Vigilium Romanum Pontificem monuerunt abſentem. At non ſic quidem Orientales Epiſcopi, qui ſiue blanditiis, ſiue terroribus compulſi, magna ex parte Imperatori ceſſerunt, licet iidem ſicut antea, ita & poſtea facinus fuerint deteſtati. Nam audi, quæſo, quid de Patriarchalium ſedium Epiſcopis idem Facundus ſcribat: *Illud eſt inſuetum, illud mirabile, illud, in quo magna vis veritatis apparet, quod ipſos quoque præſumptores internus conſcientiæ ſtimulus fateri cogit, ad deſtructionem Concilij Chalcedonenſis hæc fuiſſe conſcripta.*

XLVI. MENNAS EPISCOP. SVBSCRIBIT INVITVS. *Nam primus inſimulator eorum Mennas Conſtantinopolitanus Epiſcopus cum adhuc tẽtaretur ſcripto (ſicut præceptum fuerat) præbere conſenſum: contra Synodum Chalcedonenſem fieri, proteſtatus eſt. Sed & poſtquam conſenſit, à prædicto venerabilis memoriæ Stephano Eccleſiæ Romanæ diacono & Apocriſario conuentus: cum priori ſententiæ ſuæ contrarius acquieuit his, quæ ante culpauerat, & de quibus ſe nihil acturum ſine Apoſtolica ſede promiſerat: ſub ea ſe conditione ceſſiſſe, iuratum ſibi fuiſſe reſpondit, quod chirographum ſuum reciperet, ſi hæc Romanus Epiſcopus non probaret.* hæc de Menna Facundus: ex quibus intelligas Apoſtolicæ ſedis ſummam auctoritatem, cuius arbitrio, quæ eſſent ab Imperatore ſtatuta & à Patriarchis ſubſcripta, validanda relinquerentur, caritura robore & auctoritate, ſi ipſius Romani Pontificis approbatione carerent. Sed quæ cum aliis Patriarchis tunc tranſacta fuerint, ex eodem auctore cognoſce, qui paulo poſt iſta ſubiungit per antiphraſim:

*Quis porro auctoritatem contemnere poſſit iſtorum? Quis dubitet talium ſequi ſententiam, videns, quam libere ab his & intrepide veritas prædicatur? Zoilus quoque Alexandrinæ vrbis Antiſtes cum Romanum Epiſcopum venire cognoſceret* (quod cõtigit anno ſequenti) *obuiam illi ad Siciliam miſit, conquerens ſe ad ipſius decreti affirmationem fuiſſe compulſum, Quod hic ei, poſtquam venit, idem Romanus Epiſcopus in facie palam, nobis quoque inter alios præſentibus, exprobrauit.* XLVII. TRES PATRIARCHÆ SVBSCRIBVNT NOLENTES. *Nec non Ephræmius Antiochenus cum primum ei mandaretur, vt hoc etiam ipſe ſubſcribendo firmaret, conſentire noluit. At poſtquam ei denunciatum eſt, quod excludendus eſſet, niſi faceret; ſui potius honoris, quam veritatis dilector inuentus eſt. Quid autem Petrus Hieroſolymitanus? nonne publica notitia refert, quem iurãdo conuenientem ad ſe multitudine monachorum, iuratus pronunciarit, quod ſi quis eidem decreto monitus conſentiret, contra Chalcedonenſe Concilium faceret: nec tamen ſe ab eius conſenſione ſuſpendit? Hoc autem velut hæreditarium de præuaricatione primæ illius mulieris cognouimus eſſe contractum, quæ prius interdictum ſibi fuiſſe reſpondit, ne de ligno, quod erat in medio paradiſi, comederet: & poſtea quod ipſa illicitum pronunciauerat, vſurpauit, ac viro vt comederet, perſuaſit. Et quid dicemus ad hæc? niſi quod Dominus dixit: Veruntamen veniens Filius hominis putas inueniet fidem ſuper terram?*

XLIIX. QVID EPISCOPI ALIARVM CIVITATVM. *Iam vero de aliarum ciuitatum Epiſcopis quid loquamur? Qui & cum ſubſcribere compellerentur, palã reclamauerunt, contra magnam Synodum fieri: & poſt ſubſcriptionem memorato Stephano Romano diacono libellos dederunt, ſedi Apoſtolicæ tranſmittendos, confitentes in eis, quod à Conſtantinopolitano Epiſcopo coacti ſubſcripſerint, qui ſi à veſtra pietate quærantur, poterunt & apud vos noſtris aſſertionibus atteſtari. Vnde non ſolum ipſi qui hæc fecerant, ſed & illi etiã qui facientibus cõmunicando conſentiunt, de ignorantia ſemetipſos excuſare nõ poſſunt, & fruſtra diſſimulant, fruſtra ſe dicunt neſcire quod factum eſt, ſiue lucra temporalia diligẽtes, ſiue gratis ſuas animas negligentes. Cui enim non ſufficiat ad cognoſcendum cauſæ meritum ſola confeſſio tranſgreſſorum & verbis publice facta & libellis expoſita:* cum interea ipſum Vigilium conſulere non prætermitterent.

XLIX. Quid autem excuſando ſe, quod Iuſtiniano Imperatori paruiſſent, illi dicerent, idem Facundus ſuperius ſic ait a: *Adhuc dicant, quod de tanta ſua præſumptione Eccleſiam quoq; Romanam conſuluerint, & ſententiam beati Vigilij Præſulis adhuc expectent.* hæc ipſe: qui poſt multa ſubdit b & de Domitiano Epiſcopo Metropolitano Ancyrę in Galatia, qui Origeniſta cum eſſet, ſcripto tamen libello ad Vigilium Romanum Pontificem, ingenue profeſſus eſt, Origeniſtarũ ſtudiis ea fuiſſe ab Imperatore cõtra Theodorum Mopſueſtenum & alios aduerſus Synodum Chalcedonenſem promulgata: ait enim c: *Quia per inſtantiam tuæ religionis eiuſdem profani dogmatis* (Origenis ſcilicet) *iterata damnatio eſt: hinc eius ſectatores exarſerunt aduerſus Eccleſiam, quærentes eam quacumque poſſent immiſſione turbare. Et hoc totum publicam notitiam non effugit. Præſertim cum & Domitianus Ancyrenſis quidem ciuitatis Epiſcopus prouinciæ primæ Galatiæ, qui fuit ipſius Origenianæ hæreſis manifeſtus aſſertor, per libellum, quem ad beatũ Papam Vigilium ſcripſit, Deo extorquente, confeſſus eſt, quod eius complices Origeniani cum viderent non ſe poſſe proprium dogma defendere, neque ſibi quicquã ſpei de conflictu reſtare: ad vltionem eorum, quæ contra Origenẽ geſta ſunt, hæc eccleſiæ ſcandala cõmouerunt.* hæc Facundus, qui & inferius eiuſdem Domitiani verba in libello fuſius

a Facund. pro defenſ. Cap. l. 2.
b Facund. pro defenſ. Cap. l. 4.
c Facund. lib. 4.
AB ORIGENISTIS HOC MALVM PROCESSIT.

ſcripta recitat, ſed de his modo ſatis, quod ex Liberato diacono eadem ſuperius fuerimus proſecuti: hic vero occaſione libelli ad Vigilium miſſi oportuit repetiſſe.

L.
STVDIA PELAGII ET ANATOLII DIACONORVM.

Sed qui fuerint hoc eodem tempore Occidentalium conatus aduerſus eiuſmodi Iuſtiniani Imperatoris promulgatum de fide decretum, videamus. Pelagius Romanæ Eccleſiæ diaconus ſimulac Conſtantinopoli reuerſus hoc anno in Vrbem eſt, contra eiuſdem Imperatoris de fide ſancitum edictum claſſicum cecinit, & cum alios, tum etiam Africanos Epiſcopos armare conatus eſt: qui enim (vt ex Liberato diximus) hoſtis erat & acerrimus impugnator Origeniſtarum, & aduerſarius Theodori Cæſarienſis, aduerſus eadem inuenta magno animo inſurrexit vna ſimul cum collega Anatolio: de quibus pauca tantum hæc, vnde multa valeas intelligere, ex Facundo a diſcemus, quæ ſic ſe habent: *Non ergo ciuilis hæc cauſa credenda eſt, vel talis, quæ pro Eccleſiarum pace ferenda ſit, ſed quæ merito iudicatur contra ipſius Catholicæ fidei ſtatum hæreticorum ſubreptione commota, pro qua pars maxima orbis Chriſtiani, quæ potuit, primum inter primos Chriſtianos ſacerdotum, tempore Vigilium, publica conteſtatione pulſauit: & Romana quidem vniuerſitas atque Africa, priuſquam ipſius Romani Antiſtitis acciperemus epiſtolam, non paruo iam agnouerant indicio, quid de huius facti nouitate ſentirent.*

a Facund. pro defenſ. Cap. l. 4.

LI.
AFRICANI EPISCOPI RESISTVNT IMPERATORI.

*Nam venerabiles Pelagius & Anatolius Romani diaconi debitam officio ſuo & loco ſolicitudinem pro Eccleſia Dei gerentes, laudabilis in Chriſto memoriæ Ferrando diacono Carthaginenſi ſcripſerunt, vt habito de hac cauſa diligenti tractatu cum reuerendiſſimo eiuſdem Eccleſiæ Carthaginenſis Epiſcopo, vel aliis, quos & zelum fidei & diuinæ ſcripturæ ſcirent habere notitiam, conſulentibus reſponderent, quid obſeruandum in commune omnibus videretur.* His ab Eccleſiæ Romanæ diaconis acceptis litteris, Ferrandus diaconus Carthaginenſis facere minime prætermiſit, quod fuit iniunctum: quamobrem omnes eius eſſe ſententiæ inuenit Africanos Epiſcopos, ne Imperatoris decretum in aliquam acciperetur auctoritatem, nec quicquam penitus de ipſo Chalcedonenſi Concilio pertingendum. Hæc cum Facundus teſtetur, memineris, quod ſuperius, dum de Ferrandi ſcriptis mẽtio facta eſt, iam diximus ſcriptã fuiſſe ab eo ad Pelagium & Anatolium Romanæ Eccleſiæ diaconos eo argumento epiſtolam, quæ deſideratur. At quæ eo tempore de his extat epiſtola Pontiani Epiſcopi Africani ad Imper. conſcripta videamus, quæ ſic ſe habet b:

b Extat Cõcil. tom. 2. inter Acta Ioan. Pa. 2.

LII.
PONTIANI EPISCOPI AFRIC. AD IVSTINIANVM EPISTOL.

*Clementiſſimo ac piiſſimo filio Iuſtiniano Imperatori Pontianus Epiſcopus in Domino ſalutem.*

*Principaliter nomen ab ipſis incunabulis iuſtitiæ ſuſcepiſti: & iuſtus Dominus, qui ita præſtitit, vt nomen ante iuſtitia tribueret, cui Imperij poſtmodum gubernacula contuliſſet. Adunata eſt igitur gratia Saluatoris non ſolum in nomine, verum etiam in merito, cuius vita exaltata eſt imperando, & Imperium iuſte viuendo. Dignatus es nos in Africanis partibus commorantes litteris admonere, qualem fidem teneas & defendas. Cognouimus quod Dominus B. Petro ſtatuit dicens c: Super hanc Petram ædificabo Eccleſiam meam, & portæ inferi non præualebunt aduerſus eam: & tibi dabo claues regni cælorum. Exultauit ſpiritus noſter, hoc firmiter te piiſſime eſſe Imperator, quod Apoſtolica fides prædicat, credentes quod à recta credulitatis tramite non declines. Talem enim decet eſſe Imperatorem, pium, iuſtum, fidelem, qualem te nos eſſe cognouimus.*

c Matth. 16.

LIII.
NON PVTAT DAMNANDOS MORTVOS.

*In extremo itaque epiſtolæ veſtræ cognouimus, quod nos non mediocriter remordet, debere nos Theodorum & ſcripta Theodoreti & epiſtolam Ibæ damnare. Eorum dicta ad nos vſque nunc minime peruenerunt. Quod ſi & peruenerunt, & aliqua ibi apocrypha, quæ contra fidei regulam ſint, legerimus; dicta poſſumus reſpuere, nõ auctores iam mortuos præcipiti cõdemnatione damnare. Quod ſi adhuc viuerent, & correcti errorem ſuum nõ condemnarent, iuſtiſſime damnarentur. Nunc autem quibus recitabitur ſententia damnationis noſtræ? quod in eis corrigatur, non eſt. Sed timeo, piiſſime Imperator, ne ſub obtentu damnationis iſtorum, Eutychiana hæreſis erigatur, & dum nimium inducias non ſpernimus, ad maiorem hæreſim colliſionemque veniamus. Et quid nobis cum mortuis inire bellum, vbi nulla inuenitur in congreſſione victoria? Apud iudicem verũ iam tenentur, à quo nullus appellat. Per ipſum, in quo nos honoratis & diligitis, ſupplicamus clementiam tuam, vt pax permaneat temporibus tuis, ne dum quæris damnare iam mortuos, multos inobedientes interficias viuos, & exinde compellaris reddere rationem ei, qui venturus eſt iudicare viuos & mortuos.* hucuſque ad Imperatorem Pontianus ex Africa, cum illuc miſſum hoc anno ab ipſo Iuſtiniano fidei decretum Epiſcopis Africanis innotuiſſet: cuius autem ſedis iſte Epiſcopus fuerit, ignoratur. At illud opinari facile quiſque poteſt, quod ab eo factum eſt, id ipſum ab aliis Epiſcopis diuerſarũ regionum minime prætermiſſum: nam liquet omnes fidei Catholicæ profeſſores ſimul aduerſus eiuſmodi nouitatem inſurrexiſſe, vindiceſque ſe Chalcedonenſis Concilij exhibuiſſe.

LIV.
IMP. CONSTANTINOPOLIM ACCERSIT VIGILIVM.

At quid inter hæc Imperator? Cum cerneret primarum ſedium Orientalium Epiſcoporum, præcipue vero Mennæ Conſtantinopolitani Epiſcopi ſuſpenſam eſſe ſentẽtiam ad Vigilij Papæ arbitrium, & ex eius voluntate pendere: exiſtimauit neceſſarium fore, ipſum Romanũ Pontificem Conſtantinopolim conuocare, quod fecit hoc anno, ipſum ſumma celeritate venire rogans. Nec remoratus quidẽ ipſe Vigilius fuit, qui hoc itẽ anno receſſit ab Vrbe, & ſe contulit in Siciliam, vbi hiemauit. Sed tum ex his, quæ ex Facundo dicta ſunt, tum ex his, quæ dicentur ex Procopio, ambobus huius temporis ſcriptorib. aperti mendacij redarguitur Anaſtaſius, dum alias profectionis Vigilij Cõſtantinopolim cauſas affert, atq; ſubtractum violẽter ab vrbe, inſectatumq; iurgiis & blaſphemiis tradit, potiores adeo ignominioſa minime latere potuiſſet, res ſuorũ temporũ accuratiſſime proſequentes auctores.

LV.

Cæterum cum non alia cauſa præceſſiſſe cognoſcatur profectionis ipſius Vigilij Papæ Conſtantinopolim: oportuit eum ſummo cum honore ab Imperatore vocatum eſſe, ne ipſe aduerſans inefficaces redderet omnes eius de promulgato de fide decreto conatus. Sciẽs enim (quod dictũ eſt) præcipuos Orientis Epiſcopos ex Romani Pontificis definitione pendere: eum ſibi quibus valuit, ſtuduit conciliare blanditiis, vt quæ dicturi ſumus quam perſpicue demonſtrabunt. Cæterum Vigilij Papæ Cõſtantinopolim profectionem magnum intuliſſe Catholicæ Eccleſiæ damnum, declamarunt euenta; quæ & ſignificarunt quã prudentiſſime egerint prædeceſſores Romani Põtifices, vt S. Leo & alij, qui vocati ſæpe ab Orthodoxis licet Imperatorib. in Orientem nunquam paſſi ſunt ab ipſa fixi Romæ ſede diuelli. Obfuiſſe haud modicum vſu rerũ reperitur pontificum ab Vrbe profectio ad Comitatũ, cum Imperatorum ſiue blanditiis, ſiue minis, contrariis hiſce ex aduerſo pugnantibus ventis, expoſita ſæpe noſcatur magno periculo Petri nauicula, cuius clauum immobilis ſedens Romanus Põtifex tutius teneat.

NON RECEDENDVM AB VRBE PONTIFICIBVS.

LVI.

Hoc igitur anno, qui (vt dictum eſt) à Procopio vndecimus belli Gothici numeratur, Vigilium Papam Roma receſſiſſe Conſtantinopolim profecturum, & in Siciliam perueniſſe, idem affirmat: vbi Dacium Mediolanenſem Epiſcopum Conſtantinopoli venientem obuiã habuit, & legatum ſuſcepit ab Ephræmio Epiſcopo Antiocheno miſſum, à quibus cuncta, quæ Conſtantinopoli geſta eſſent, exploratius intellexit. Quid autem egerit, vbi ea omnia comperta habuit, à Facundo accipe, cum ait d: *Hoc eſt autem mirabile, vt poſtquam horum condemnationem fecerunt, dicerent, quod Eccleſiam Romanam conſulerent, & ſententiam Vigilij eius Præſulis expectarent: cui, quantum ad illos attinet, non permiſerunt cenſere, quod ſenſerit, ante ſtatuentes, Niſi quis Theodorum Mopſueſtenum cum ſuis dogmatibus & Epiſtolam venerabilis Ibæ non anathematizat, ſit anathema. Sed ecce iam veniens, ex itinere, quod ei videbatur, edixit, & factis huius auctori correctionem tumultuariæ ſuæ tranſgreſſionis indixit, & niſi citius, quod male factum eſt, auferretur, etiam vindicaturum ſe eſſe prædixit, proteſtans & dicens cum Apoſtolo & Timotheo e: Ne forte cum venero, non quales volo inueniam vos, & ego inueniar à vobis, qualem non vultis.* erant hæc ſcripta in Epiſtola, quam Conſtantinopolim Vigilius miſit, quam etiam iiſdem præcurrentibus legatis dedit ad Imperatorem, ne quid innouari pateretur: nam ſub hiſ idem Facundus:

d Facund. pro defenſ. Cap. l. 4.

VIGILIVS PAPA QVID COMMINATVS IN NOVATORES.

e 2. Cor. 12.

LVII. QVÆ VIGILIVS CONSTANTINOPOLIM SCRIPSERIT.

*Præter quod & à veſtra clementia ſummis precibus, ſummo que admiſſu per ſuos legatos petit, ſicut eum venientem diverſæ provinciæ conteſtatæ ſunt, ne patiamini ſtare, quod factum eſt: ita, ſi quidem ipſum facti crimen eſſe iudicauit, vt illo Doctoris Gentium teſtimonio duceret arguendum, quo diſcipulo Timotheo ſcribens, dixit: Depoſitum cuſtodi devitans profanas vocum novitates, & oppoſitiones falſi nominis ſcientiæ, quam quidam promittentes circa fidem exciderunt. Quid ergo adhuc quæritur, vtrum contra fidem & Synodum Chalcedonenſem factum fuerit (quod dolemus) quando ille, cuius dicebatur expectari ſententia, profanas vocum novitates & oppoſitiones falſi nominis ſcientiæ, quam quidam promittentes circa fidem exciderunt, in ipſius facti auctorem ſibi* * *vindicaverat arguendas? Denique etiam beatum Datium Mediolanenſem Epiſcopum quem hinc reverſum in Sicilia ſe vidiſſe perhibuit, & alios conſacerdotes ſuos, ſed venerabilis memoriæ Stephanum ſolum, quem Romanæ Eccleſiæ, cui per Dei gratiam præſidet, hic habuit reſponſalem, & permiſſos* * *Eccleſiæ ſuæ approbavit, quod & pro hac cauſa à venerabilis Mediolanenſis Eccleſiæ viri Epiſcopi communione ſuſpenderit, & eos, qui ei communicaverant, ſub debita ſatisfactione ſuſceperit.*

* qui

* Mediol.

LVIII. MVLTÆ PROVINCIÆ CONTRA IVSTINIANI EDICTVM ET VIGILIVM PAP.

*Quod noſſe facere, niſi contrarium Synodo Chalcedonenſi quod factum eſt ſimul & ipſe iudicaret, non autem ſolos quos commemoravimus ſanctos & venerabiles viros hoc ſecum iudicaſſe monſtravit, quando non tacuit quod Romana quoque vniverſitas & gradientium, quod tenuerint Africa atque etiam Sardinia, quamquam non per eas tranſierit, per ipſius tamen conſiliarium publica eſt ſatisfactione pulſaue, inter ſunt Hellas & Illyricum provincia per quas venit, vt nullatenus novitati, quæ facta eſt, acquieſcat. Non ergo credulis hæc cauſa credenda eſt, nec talis, quæ pro Eccleſiarum pace ferenda ſit, ſed quæ merito iudicaretur contra ipſius Catholicæ fidei ſtatum hæreticorum ſubreptione commota, pro qua pars maxima orbis Chriſtiani, quæ potuit, primum inter primos Chriſtianos ſacerdotem publica conteſtatione pulſavit: & Romana quidem vniverſitas atque Africa, priuſquam & Romani Antiſtitis acceperimus epiſtolam, non parvo iam argumentamus indicio quid de huius facti novitate ſentirent.* hactenus Facundus de Vigilii Papæ rebus geſtis hoc anno: antequam pervenerit Conſtantinopolim, quod ſequenti anno contigiſſe ſuo loco dicemus.

LIX. a Procop. lib. 3. de bello Goth. VIGILIVS E SICILIA FRVMENTVM MITTIT ROMAM.

Porro ipſum Vigilium diutius manſiſſe in Sicilia, indeque laboranti fame Vrbi frumentum miſiſſe, Procopius teſtatur, vbi ait a: *Per idem tempus Vigilius Vrbis Romanæ Præſul cum in Sicilia eſſet, magnum navium numerum frumento complet, & Romam tranſmitti iubet omnino Vrbem tutandi ratione poſſe, qui onera navibus importarent. Qui vtique cum Romanorum ad Portum curſum tenerent, hoſtes eorum adventu per cognito paulo ante priores ipſi cum in Portum veniſſent intra muros delituerunt, vt eos naves iam deſcendentes nullo negotio caperent. Sed hos qui in mœnibus erant cuſtodes mox conſpicati, e propugnaculis veſte altius agitata ſignum nautis ad ſe navigantibus dabant, ne vltra progrederentur, ſed alio quocumque poſſent verterent velum. Illi vero prodito ſigno non intellecto, ſed rati potius qui in Portu erant Romanos præ gaudio ex ſuo adventu alacres factos id ſignum dediſſe, ſeque ad Portum ineundum hortari, proſpero ac præſenti aſſlante illis vento, intra Portum celerrime cum navibus pervenerunt, in quibus Valentinus Epiſcopus quidam, cum Romanis pleriſque aliis navigabat. Tunc Barbari ex inſidiis confeſtim exorti naves omnes nemine defendente mox capiunt. Epiſcopum cum Romanis comprehenſum ad Totilam ducunt, cæteros vero obtruncant, & cum oneribus naves remulco trahentes e veſtigio abeunt. Totilas interea cum Epiſcopum quid ſibi iam vellet rogaſſet, & mendacii apertius convicisſet, vtraſque illi manus præcidit.* hæc Procopius, qui de longa Vigilii in Sicilia mora deque profectione ipſius anno ſequenti Conſtantinopolim agit.

LX. VIGILIVS ORDINATIONES IN SICILIA CELEBRAVIT.

Porro oneraſſe naves Vigilium ex Eccleſiæ frumento, poſſumus intelligere, quod conſtet ampliſſimum fuiſſe Romanæ Eccleſiæ in Sicilia patrimonium, vt ex ſancti Gregorii epiſtolis liquet. Quod autem ad Valentinum Epiſcopum pertinet, hunc fuiſſe Epiſcopū Silvæ Candidæ, alio titulo ſanctarum Ruffinæ, atque Secundæ, Anaſtaſius tradit, miſſumque à Vigilio in Vrbem, vt ibi Vicarius conſideret, affirmat: quem reverſum ad Vigilium Conſtantinopoli iam agentem, quæ poſtea dicentur, oſtendent. Adhæc inſuper addit Anaſtaſius ipſum Vigilium in Sicilia commorantē, Cathanę ordinationem habuiſſe menſe Decembri, ordinaſſeque presbyteros atq; diaconos ex quibus Romam miſiſſe Ampliatum presbyterum Vicedominum ſuum, Valentinum vero (quem diximus) ad clerici gubernationem, vtque loco Pontificis Vicarius ibi degeret in ædibus Lateranenſibus. Dum vero ſubdit, in vigilia Natalis Domini eumdem Pontificem perveniſſe Conſtantinopolim, ex dicendis è Procopio mendacii redarguitur. At hic finis eſto rerum geſtarum huius anni Vigilii Romani Pontificis. Cæterum annis ſingulis inchoatæ tragœdiæ Actus luctuoſi inferentur in ſcenam cunctis ſpectandi. Quæ vero reliquarum huius anni rerum geſtarum narratio ſupereſt, proſequamur.

LXI. VIGILII PAP. EPIS. AD AVREL. EPIS. AVREL.

Hoc eodem anno, cum Auxanius Arelatenſis Epiſcopus ex hac vita migraſſet, in locum eius ſubrogatus eſt Aurelianus quem Vigilius ſuum decreuit eſſe Vicarium. Epiſtola autem tunc ad eum ſcripta ab ipſo Romano Pontifice ſic ſe habet:

*Dilectiſſimo fratri Aureliano Vigilius.*

*Adminiſtrationem vicium noſtrarum fraternitati veſtræ animo libenti committimus, & credimus charitatis veſtræ officio actibus Deo placitis diligenter vniverſa compleri, quando & ſummi ſacerdotii conſortio vos dignos divina eſſe gratia iudicauit & glorioſiſſimi Childeberti Francorum Regis Chriſtiana & Deo placida in perhibendo vobis teſtimonium voluntas acceſſit. Qua propter vices noſtras veſtræ charitati hac auctoritate committimus, vt vniverſa quæ deceſſorum noſtrorū vel canonum ſtatuta ſanxerunt, Deo congruis operibus faciendo atque ſervando, & noſtrum & prædicti glorioſi Regis iudiciū circa charitatem tuam rectum fuiſſe poſſis oſtendere. Sacrarum enim Scripturarum nos docet auctoritas, quia Chriſtus Deus & Dominus Salvator noſter prius vniverſa, quæ bona ſunt, facere voluit, quam docere: ſcriptum eſt enim b: Primum quidem ſermonem feci de omnibus, ô Theophile, quæ cœpit Ieſus facere & docere, vſque in diem, qua præcipiens Apoſtolis per Spiritū ſanctum, quos elegit, aſſumptus eſt. Item quid commonens Timotheum Doctor Gentium dicat Apoſtolus, fraternitatem tuam ſemper ante oculos habere confidimus; ait enim c: Conſortare in gratia quæ eſt in Chriſto Ieſu: & quæ audiſti à me per multos teſtes, hæc commenda fidelibus hominib. qui idonei erunt & alios docere. Et idem ipſe d: Solicite cura teipſum probabilem exhibere Domino operarium, inconfuſibilem, recte tractantem verbum veritatis. Et iterum e: Labora ſicut bonus miles Chriſti Ieſu, intellige, quæ dico: dabit enim tibi Dominus in omnibus intellectum.*

b Act. 1.

c 2. Tim. 2.

d Ibidem.

e Ibidem.

LXII.

*Si quam ergo inter fratres diabolus humani generis hoſtis antiquus Zizaniam ſeminaverit calliditate nequitiæ conſueta aut de aliquo ſacerdote fraternitatis tuæ, ſervatis maiorum per omnia conſtitutis fuerit querela depoſita, adhibitis tibi fratribus & Coepiſcopis ſecundum qualitatem negotii numero competenti, cauſam canonica & Apoſtolica ordinatione diſcutiens ea ſententia definies quæ & deceſſorum noſtrorum conveniat ſtatutis, & Deo æquitatem in omnibus diligenti ſit grata. Si quod vero de religione fidei (quod Deus auferat) fuerit certamen exortum, aut tale aliquod negotium fortaſſis emerſerit, quod pro ſui magnitudine ibidem nequeat definiri: veritate diſcuſſa, relationis ſerie diſtincta, ad noſtram conſultationem potius vt remittas, hortamur: quia ita deceſſores veſtros, qui deceſſorum noſtrorum vices egiſſe monſtrantur feciſſe, teſtimonium noſtri declarat ſcrinii: quatenus ad diſpoſitione ſervata, Eccleſiæ vnitas ſtabili firmitate perſiſtens pacis bono in omnibus perfruatur, cuius velut hæreditarium munus Chriſtus Deus & Salvator noſter ad cœlos, vnde numquam defuit, rediturus diſcipulis ſuis legitur reliquiſſe dicens f: Pacem meam do vobis, pacem meam relinquo vobis.*

f Ioann. 14.

LXIII.

*Et vt vniverſa fraternitas veſtra diligenti poſſit ratione complere, Epiſcopis quibus pro vice noſtra te præeſſe voluimus nos præcepta deſtinaſſe ſignamus; vt & illi vobis obedientiam exhibere debeant competentē, & fraternitas tua eos in Chriſti charitate complectens, exemplis bonorum potius operū, ad quæ ſunt Deo placita facienda ſemper invitet, illud parentis auctoritate ſignavimus, ne quis ſine Formata tuæ fraternitatis ad longinqua loca audeat proficiſci; ſed vt conſuetudinem illā debeant cuſtodire quācumque*

PALLIO DONATVR AVRELIAN. A VIGILIO PAPA.

*ſemper noſtræ ſedis habuiſſe Vicarium, & à vobis Formatam poſtulent, ſi cauſarum ſuarum neceſſitate compulſi ad longiora itinera deſtinare diſponunt. Sed ne in aliquo ſedis noſtræ Vicarius minor ſuis deceſſoribus videatur, neceſſarium fore credimus pallij vobis vſum, quemadmodum deceſſori veſtro hactenus dederamus, præſenti auctoritate concedere, vt & morum, & omnium bonarum rerum vobis, beato Petro Apoſtolo ſuffragante, non deſit ornatus.*

LXIV.

*Oportet ergo Charitatem veſtram ſacerdotali ſemper ſtudio inter dominos filios noſtros clementiſſimos Principes, & glorioſiſſimum virum, id eſt, filium noſtrum Childebertum Regem gratiæ intacta fœdera cuſtodire. Scitis enim, nec vos conuenit ignorare, quod neceſſario prædicatis, quia ſcriptura pronuntiat*[a], *dicens: Beati pedes euangelizantium pacem, euangelizantium bona. Et hoc quoque veſtrum facere deſideramus affectum, vt glorioſo viro filio noſtro Patricio Beliſario deſtinatis ſcriptis gratias referatis, qui homini veſtro laborem ad clementiſſimum Principem abſtulit tranſeundi, ſed mox vt reſponſum recepit, nobis ſuis litteris indicauit. Dominus te incolumem cuſtodiat, frater chariſſime. Data XI. Kalend. Septembris. Quinquies poſt Conſul. Baſilij V. C.* Dedit & alias eodem argumento ad Galliarum Epiſcopos, quæ ſic ſe habent.

a Rom. 10.

LXIV. EPIST. VIGILII PAP. AD GALLIÆ EPISCOP.

*Dilectiſſimis fratribus vniuerſis Epiſcopis qui ſub regno glorioſiſſimi filij noſtri Childeberti Regis ſunt per Gallias conſtituti, Vigilius.*

*Admonet nos loci noſtri miniſterium diuina miſericordia Domini collatum, Domini gratia protegente, nec legentis* euitando periculum, bonis potius palmam retributionis promiſſæ & ſtudeamus & mereamur accipere. Vnde quantum nobis Chriſtus Deus Dominus & Saluator noſter primi Apoſtolorum locum pro ineffabili pietatis ſuæ genere largitate conceſſit, tantum nos de vniuerſarum pace Eccleſiarum, quæ licet in multis, vna tamen eſt toto Orbe diffuſa, inceſſante ſtudio conuenit eſſe ſollicitos. Quippe quia nos ſacrarum Scripturarum eloquia reddunt diligenter inſtructos. Quod cum Moyſes Dei famulus diuinis iuſſionibus obſecundans ad montem voluiſſet aſcendere, loco ſuo Aaron & Hur legitur reliquiſſe, dicens*[b]*: Expectate hic, donec reuertamur ad vos. Habetis Aaron & Hur vobiſcum, ſi quid natum fuerit quæſtionis, referetis ad eos. Ita enim inter ſacerdotes Domini poteſt pax ſuper omnia Deo placita cuſtodiri, ſi fuerit qui vicem noſtrarum auctoritate ſubnixus, per perſonam noſtram in Galliarum partibus præſentans, ſecundum conſuetudinem à noſtris deceſſoribus attributam ſapientiam ſollicita indagatione cuſtodiens; ſi quam humani generis hoſtis antiquus zizaniam inter Dei famulos nequitia conſueta ſeminare tentauerit, ſapientia ſua moderamine, adhibitis ſibi fratribus & Coepiſcopis noſtris iuſtitia Deo placita ſcandala ortu ſubmoueat.*

b Exod. 24.

LXVI AVRELIANVS AREL. VICARIVS APOSTOLICVS.

*Vnde quia dudum Auxanio quondam Arelatenſis ciuitatis Antiſtiti vicem noſtrarum ſollicitudinem dederamus ſed curſum vitæ præſentis implendo, de hac luce migrauit, in cuius loco Aurelianus frater noſter noſcitur ſuffectus, eſſe neceſſarium valde credimus ſollicitudinem hanc à nobis antefato debere committi, confidentes illum & pro loci ſui qualitate bonis actibus vniuerſa quæ Deo placeant, poſſe complere, & maxime cum glorioſus filius noſter Childebertus Rex teſtimonium bonæ conſcientiæ pro Chriſtiana ſuæ voluntatis deuotione perhibuit. Oportet ergo charitatem veſtram ei in omnibus, quæ ſeruatis per cuncta canonibus, ſalubriter ſecundum noſtrarum diffinita maiorum, pro noſtra auctoritate conſuerit, præbere obedientiam competentem:*

LXVII.

*Et quia omnino neceſſe eſt, vt pro diuerſis confratribus Deo iuuante tractandis, ſtatutis aptiſque temporibus Epiſcoporum Synodum debeat congregare: idcirco præſenti auctoritate cenſemus*[c], *vt nullus, vbi aut quando conſtiterit, ſe audeat excuſare, excepta infirmitatis cauſa quam humana non poteſt vitare fragilitas, aut certe quem digna excuſationis ratio ſcierit non venire. Omnibus nihilominus ſcientibus, quod* Chriſtus Dominus & ſaluator noſter pia inſtitutione pronuntiat, dicens*[c]*: Quia ſi duo ex vobis conſenſerint ſuper terram de omni re quamcumque petierint, fiet illis à Patre meo, qui in cælis eſt. Quemadmodum autem quis ſibi quæ poſtulat, credit poſſe concedi, ſi congregationis ſanctæ conuentum, vbi Dominus præſentiam ſuam promiſit modis omnibus aſſuturam, ſine aliqua rectæ excuſationis cauſa euitare crediderit: Sed ſicut præfati ſumus, ſi iuſta cauſa illum ad Synodum fecerit non venire pro ſe aut presbyterum, aut diaconum deſtinare non differat, quatenus quæ fuerunt conſtituta per eos poſſit agnoſcere, & definita complere. Pari auctoritate mandantes, vt nullus ſine prædicti Formata ad longinquiora loca audeat proficiſci: præſertim quia & deceſſorum noſtrorum deceſſoribus eius, quibus vices ſuas commiſiſſe præteritis temporibus releguntur, ſic definiunt ſtatuta; vt his omnibus obedientia Deo placita cuſtodita pax Eccleſiarum ſtabili firmitate perſiſtat, & ſicut Doctor gentium dicit Apoſtolus*[d]*, Eccleſia Dei poſſit ſine ruga & macula permanere. Dominus vos incolumes cuſtodiat, fratres chariſſimi.*

* quid

c Mat. 18.

d Epheſ.

LXIIX. DOMNVS ANTIOCHENVS EPISC.

Hoc anno Ephræm Epiſcopus Antiochenus, cum ſediſſet ferme viginti annos ex hac vita migrat, in cuius locum Domnus eius nominis ſecundus eſt ſubrogatus: hæc ex Nicephori Chronico, qui autem eum anno ſuperiori diem obiiſſe putarunt, ex his, quæ ipſum egiſſe cum Iuſtiniano Imperatore hoc anno vidimus errare noſcuntur. Idem dicendum de Petro Epiſcopo Hieroſolymitano, quem non ante præſentem annum diem obiiſſe oportuit, licet anno ſuperiori eum defunctum ponant: in cuius locum ſuffectum eſſe Macarium ſecundum huius nominis, tum Euagrius, tum Nicephorus tradunt. Quæ autem huius Petri obitum præceſſerint ante ſex menſes memoria digna, & prophetia de eius obitu, quæ & eius vitæ ſanctitatem commendent narratam à Sophronio[e] hic hiſtoriam attexamus: quam cum à Sophronio petitam dicimus, ita quidem more maiorum citare conſueuimus librum illum, qui à Ioanne conſcriptus ad Sophronium legitur: etenim apud Damaſcenum nec non apud ſeptimæ Synodi acta Sophronij nomine citatus habetur, ait igitur auctor.

e Soph. Prat. ſpirit. c. 119.

LXIX. DE ABBATE GEORGIO DIVINITVS TRANSLATO.

*Narrauit nobis Abbas Iſa Damiana ſolitaria mater Abbatis Athenogenis Epiſcopi Petrenſis, dicens: Erat quidam Abbas in ſancto monte Sina, nomine Georgius, miræ virtutis & abſtinentiæ vir. Huic Abbati Georgio magno ſabbati die in cellula ſua venit deſiderium faciendi ſacrum diem reſurrectionis in ſancta ciuitate, & ſumere veneranda myſteria in ſancta Chriſti Dei noſtri reſurrectione. Per totum ergo diem ſenior huiuſmodi cogitatione ſollicitabatur, & orabat. Cum itaque ſero factum eſſet, venit diſcipulus eius, dicens ei: Iube, Pater, vt eamus ad ſynaxim. Senex autem reſpondit ei: Vade, & tempore ſanctæ communionis veni ad me, & pergam. Manſit itaque ſenex in cellula. Cum autem aduenisset tempus ſanctæ communionis in ſancta Reſurrectione inuentus eſt ſenex prope Archiepiſcopum beatum Petrum, qui præbuit tum illi tum presbyteris ſanctam communionem. Videns igitur eum Patriarcha dixit Menæ aſſeſſori ſuo: Quando venit Abbas montis Sinai? reſpondit ille: per orationes veſtras, domine, non vidi illum, niſi nunc ſolummodo. Tunc, ait Patriarcha: Dic illi, vt non recedat; volo enim vt mecum ſumat cibum. Ille vero profectus id dixit ſeni. Qui ait, voluntas Dei fiat. Cum ergo ſaluta ſſet ſynaxes, adorato ſancto monumento inuentus eſt in cellula ſua. Ecce diſcipulus eius pulſauit, & dixit: Pater veni, vt communices. Senex vero profectus in eccleſiam cum diſcipulo ſuo, iterum ſumpſit veneranda myſteria.*

LXX. GEORGII ABBATIS EXCVSATIO ET PRÆDICATIO.

*Petrus autem Archiepiſcopus contriſtatus, quod illi inobediens fuiſſet, poſt ſolemnitatem miſit ad Epiſcopum Phari Abbatem Photinum & ad Patres Sinæ, vt Abbatem ad ſe mitterent. Cum ergo veniſſet, qui attulerat litteras dediſſetque illas, miſit & ſenex tres presbyteros, Abbatem ſcilicet Stephanum Cappadocem magnum illum virum, cuius & ſupra meminimus; & Abbatem Zoſimum, cuius etiam ſuperius mentionem fecimus; & Abbatem Dulcitium Romanum ad Patriarcham, purgauitque ſeipſum ſenior ſcribens ac dicens: Abſit à me, mi Domine ſanctiſſime, vt ſanctum Angelum veſtrum contempſerim. Scripſit autem idem Georgius Abbas & hoc ad eum: Vt ſciat beatitudo veſtra poſt ſex menſes Chriſto Domino & Deo noſtro ſimul occurſuri ſumus, & illic adorabo vos. Egreſſi itaque presbyteri dederunt Patriarchæ litteras. Dixerunt tamen & hoc ei, quoniam ſenex multos annos habebat, ex quo non venerat in Palæſtinam. Oſtendebant item & litteras Epiſcopi Phari ſimul conteſtantes, quod ferme ſeptuaginta annos habebat ſenex, ex quo de ſancto monte Sina non exierat. Sanctus vero & mitiſſimus Petrus aſſerebat teſtes eos, qui tunc affuerant, Epiſcopos & clericos, dicentes: Vere nos ſenem vidimus, & omnes oſculo ſancto illum ſalutauimus: Poſtquam igitur impleti ſunt ſex menſes requieuerunt in pace ſenex & Patriarcha iuxta ſcilicet ipſius ſenis prophetiam.* hucuſque ibi: quibus videas his innouata antiqua ſigna Habacuc

& Phi-

& Philippi diaconi, qui in momento tranſlati ſunt è loco in locum. Voluntatem enim timentium ſe facit Dominus, & deſiderium pauperum exaudit. Etenim cupienti ei ſtatim ſuum Paſcha agere Hieroſolymis, id manifeſto miraculo præſtitit ei Deus diues in omnes, qui inuocant illum, non ſeneſcens, vt virtute ex diuturnitate temporis minuatur, quo minus præſtare tempore valeat, quod olim aliis conceſſiſſe legitur.

LXXI. DE MACARIO EPISC. HIEROSOL. a Sophron. Prat. ſpirit. cap. 19. eadem cap. 96.

Qui autem in loco Petri ſuffectus eſt in ſedem Hieroſolymitanam Epiſcopus (vt dictum eſt) Macarius nomine, in ſuſpicionem adductus eſt hæreſis: adeo vt multi ab eius ſe communione ſepararint, vt patet ex eodem Sophronio: at verum id potius ex leuitate, quam veritate factum, oſtendunt quæ ab eodem auctore narrantur inferius verbis iſtis: *Cum alius hic fuiſſet ſenex genere Arabs, Iulianus nomine, captus oculis, ipſe aliquando ſcandalizatus eſt in Macarium Archiepiſcopum Hieroſolymitanum, nolebatque communicare illi. Quadam ergo die Abbas Iulianus ſignificauit Abbati Simeoni, qui erat in monte Mirabili (diſtat autem à Theopoli mansis illa milliaribus nouem) dicens: Cæcus ſum, & quo abeam neſcio: neque vero habeo, qui poſſit auxiliari mihi, & communicare Macario detracto. Indica mihi, Pater, quid agere habeam de fratre, qui fornicatus eſt, & de illo, qui ſe cum eo iuramento conſtrinxit. Reſpondit autem Abbas Simeon Abbati Iuliano, dicens: ne recedas, neque te ipſum à ſancta Eccleſia ſepares: neque enim illa male habet gratiam Domini noſtri Ieſu Chriſti Filij Dei.* hæc de Macario ibi. In vita b ſancti Gregorij Epiſcopi Agrigentini prolixa atque honeſta pariter mentio fit de Macario iſto, eidemque ſpiritus prophetiæ tribuitur: ab eoque ipſum Gregorium fuiſſe diaconum ordinatum, auctor affirmat. Fuit autem hic eius nominis ſecundus Hieroſolymorum Epiſcopus: Senior enim Macarius vixit temporibus Conſtantini Magni Imp.

b Apud Sur. die 24. Nou.

---

# IESV CHRISTI Annus 547.

VIGILII PAP. Annus 8. IVSTINIANI IMP. 21. TOTILÆ REG. 6.

I. QVI ſequitur poſt Baſilij Conſulatum annus ſextus, idem numeratur Domini quingenteſimus quadrageſimus ſeptimus, qui & à Procopio ponitur belli Gothici annus duodecimus: quo cum obſeſſa anno ſuperiori Roma à Totila, graui premeretur inedia, ad eam leuandam incubuit opera Pelagij diaconi S. Romanæ Eccleſiæ: cuius res geſtas cum Totila hoc ipſo anno duodecimo belli Gothici, ſimul & cladem Vrbis ſic item deſcribit Procopius a: *Erat* (inquit) *tunc forte inter Romanos & ſacros viros Pelagius quidam diaconus, qui diu Byzantij commoratus, maximam ſibi cum Imperatore conciliauerat amicitiam. Vnde & pecuniarum vi maxima circumfuſus, Romam ſe paulo ante, quam obſideretur, contulerat. In eaque deinde obſidione neceſſaria indigentibus eius pecunia partem largiter impartitus, cum nil ante hac eſſet inter Italos omnes vir probus, maiorem (vti par erat) charitatis & in proximos quoſque beneuolentiæ gloriam retulit. Hunc igitur, cum præ fame indigna quædam Romani & difficillima paterentur, facile ſuadent, conuentum vt Totilam precaretur, paucorum ſibi dierum inducias his conditionibus daret: vt ſi intra conſtitutum inter ſe tempus nemo ſibi ſuppetias ex Byzantio venerit, ſine mora, ſe ipſi Vrbemque barbaris proderent. His cum mandatis, vbi ad Totilam Pelagius venit, & ab eo eſt perbenigne ſuſceptus, prior Totilas ſic exorſus eſt:*

a Procop. de bello Goth. lib. 3.

LEGATIO PELAGII DIACONI AD TOTILAM.

II. TOTILÆ AD PELAGIVM DIACONVM ORATIO.

*Conſtat ſane apud barbaros omnes id lege cautum eſſe, oratores vt hi plurimum colant & reuereantur. Mihi vero, qui virtute ſibi aliquid compararunt, qualis es tu, honorem deferre ſimul & reuerentiam iampridem ſtudium fuit. Sed oratoribus delatos honores, ſiue illatam his ignominiam, non perſonarum manſuetudine, ſiue verborum tumiditate & elegantia decerni reor: ſed cum vera quædam fatentur, vel non ſanis admodum verbis vtuntur. Orator illi itaque honor deferri maxime ſolet, qui veritate mox patefacta ad ſuos aſmittitur: ſed is ignominia præ cæteris afficitur, qui vbi commentitia quædam & ſubdola fecerit verba, ad ſuos mox redeat. Cætera quidem, Pelagi, quæ à nobis petieris, facile conſequeris, tribus dumtaxat exceptis, & vbi hæc caueris, vt plane ſubijciat magis expediet: ne forte maximam ipſe cauſam præbeas, quo minus eorum vel peragas, quorum ob gratiam huc aduenisti, vel nos forte ex re infecta incuſes. Petere namque, quæ præſentibus haudquaquam rebus conueniant, plurimum procul dubio facit, nemo pro votis vt quippiam conſequatur.*

III. *His autem ſic interdico, ne quoquam pacto pro Siculis, vel Vrbis mœnibus hiſce, vel transfugis ſeruis verba nunc facias: quandoquidem fieri poteſt vt aut Gothorum opera vti pro Siculis queas, aut murus vt iſte Vrbis integer maneat, vel ſerui ipſi, qui nobiſcum nunc militant, ſuis quondam de cætero domino ſeruiant. Verum ne videantur hæc inconſiderata quadam per nos prætendi ſententia, & cauſas ipſas explicaturi mox ſumus. Fuit olim Sicilia inſula & priſcis quidem temporibus pecuniarum vt felix prouentu, ita & cuiuſuis generis frugum in ea naſcentium cæteris terris fœcunditate præſtantior, atque vt non ſolum hæc incolis ſuppetant, ſed vel vobis Romanis itidem ad vitam ſint neceſſaria per annos ſingulos exportantibus ſatis. Vnde tunc primum Romani Theodoricum deprecabantur, ne ea in inſula maius aliquod Gothorum præſidium collocaret, ne ea res forte ad cæteras proſperitates eorum libertatem interpellaret. His ita peractis, hoſtium exercitus in Siciliam nauigauit, qui ferme nec hominum multitudine nec re alia vlla nobis eſſent in bello pares. Siculi vero viſa hoſtium claſſe, non ad Gothos quicquam denunciare, nec ſe continere munitionibus, nec hoſtibus ſaltem cenſere vtcumque occurſandum tunc eſſe, ſed promptiſſime patefactis tunc vrbium portis, ſupinis hoſtium exercitus manibus exceperunt, & haud ſecus egere, ac infidiſſima ſeruitia ſolent, quæ diutius in carcere aſſeruata, dum dominorum volunt manus effugere, in nouos quoſdam & alienigenas ſtatim incidunt. Ea itaque ex inſula hoſtes, vt è loco munito impetu facto, omni Italia ora ſine vllo periti negotio ſunt: quin etiam vel vrbem hanc Romam cepere, ac tantum inde frumenti numerum importarunt, vt vel obſeſſi in anni ſpatium queant Romani obſiſtere. De Siculis hactenus, quibus per Gothos vt venia detur, fieri nullo modo iam poterit, criminum magnitudine miſericordiam ab his adimente, qui effecti iniuria ſunt.*

IV. *Nunc vero intra hos muros hoſtes ſe exercendo, in campum quidem deſcendere, & nobiſcum acie decertare minime cenſent: dolis vero & deceptiunculis continenter & per ſingulos dies nos oppugnando, iniuſte quidem noſtris his rebus & plane abſurdius nunc potiuntur. Ne itaque iterato hæc eadem patiamur, prouidendum iam ducimus. Qui enim præ ignorantia ſemel circumuenti falluntur, ſi rurſus in infortunium recidant, quia minus periclitando præuideant conſuetam ſibi calamitatem, haudquaquam ex aduerſante fortuna id fieri videbitur, ſed quia ſe deliquiſſe plane ignorent: vel illud quidem adiecerit quiſpiam, & vobis omnibus maxime profuturum, vt Vrbis hæc mœnia ſolo æquentur, ne cum alius & ipſi demum coerciti, vel ab inſultantibus hoſtib. circumuallati, ſed malis excluſi aliena periculo, nec vllo veſtro diſcrimine victoribus futuri ſitis in præmium. De ſeruis vero, qui vltro ad nos conceſſerunt, dicturi hæc ſumus: Si enim qui nobiſcum fuere in hoſtem inſtructi, & à nobis deinde fidem noſtra ex confeſſione acceperunt, ne ſe vnquam veteribus dominis vtcunque reſtituamus, veſtras in manus dedendos eſſe nunc cenſuerimus: profecto nec vobis quidem traditam fidem ſeruaturi quandoque eſſemus. Non enim qui vel cum omnium miſerrimis pactiones factas neglexerit, erga alium quempiam firmiorem præ ſe ferre animum quiuerit: quin potius veluti abſurdioris naturæ indicium, ad omnes, qui ſecum verſantur, circumferre perfidiam videtur: hæc Totilas.*

V. PELAGII DIAC. AD TOTILAM RESPONSIO.

*Pelagius vero ita reſpondit: Summum tibi, vir ſtrenue, in dicendo ſtudium fuit, me ſimul & oratoris nomen extollere, etſi alias in ſordidiſſima ſtatuiſti nos forte. Virum namque, amicum & oratorem non ſolum eum affeciſſe contumelia duxerim, qui vel caput illi percuſſerit, vel alio quouis in hunc deſæuiat modo, ſed vel qui re infecta dimiſerit ad ſe delegatum. Non enim homines oratoris munere idcirco funguntur, vt honorem ab his conſequantur, qui ſuſcepturi ſe ſint, ſed quod vſui Reip. in poſterum ſit peragendo, ad eos, qui ſe legauerunt, mox redeant. Sic igitur velut affectus iniuria longe magis conducat eos non aliquid effeciſſe, quorum ob cauſam venerint, quam Principum verbis benignioribus auditis, nihil pro ſpe conſecutos ad ſuos redire. Deprecor autem, haudquaquam ſat ſcirem quæcumque præfatus nunc es. Cur enim quiſquam is moleſtum ſe*

prebeat,